



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs I. De Prædicabili in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

esse semper, & ubique, potest intelligi dupliciter. Vno modo, quia habet in se, unde se extendat ad omne tempus, & ad omnem locum, sicut Deo competit esse ubique, & semper. Alio modo, quia non habet in se, quo determinetur ad aliquem locum, vel tempus, sicut materia prima dicitur esse vna, non, quia habet vnâ formam, sicut homo est vnus ab unitate vnius forme, sed per remotionem omnium formarum distinguendum, & per hunc modum quodlibet vniuersale dicitur esse ubique, & semper

in quantum vniuersalia abstrahuntur ab hic, & nunc.

Quod attinet ad causas vniuersalium, efficiens, est intellectus, si de potissimis sermo sit: fin autem latius sumantur; præter intellectum, voluntas, sensus, ac facultas etiam eloquutiua, vt superius ostensum: formalis; actus harum facultatum omnium: materialis; res cognita, aut aliter intentionali modo tacta: finalis denique; vel ipsa cognitio, volitio, sensus, loquutio, aut aliud in quod eas voluntas dirigat.



LIBER NONVS

De prædicabilitate Veritatis.

TRACTATVS I.

De prædicabili in communi.

CAPVT I.

An Prædicabilitas sit essentia, vel potius sola passio vniuersalis.



QVAMVIS plerique cum Porphyrio prius de prædicabilibus in particulari, quam in communi differant, aliud tamen postulat recta methodus, quam sequi animus est. Præmitto ergo primo, prædicabilitatem aliam esse proximam, qua intellectus ad naturam communem de inferioribus prædicandam est omnino expeditus: aliam remotam, quæ cum aliquibus impedimentis, seu cum defectu aliquorum prærequisitorum ad actualem prædicationem coniuncta esse potest: exemplum huius posterioris habes, quando intellectus apprehendit rationem communem hominis, v. g. sed destitutus apprehensione inferiorum, de quibus eam enunciet: illius vero prioris exemplum quando, & rationem communem, & partes ei subiectas simul apprehendit, sicut ad illam de his prædicandam oportet. Præmitto secundò, vniuersale aliud esse Logicum, aliud Metaphysicum, aliud per intellectum, aliud per voluntatem, sensum, aliasque facultates lib. super. enumeratas. Præmitto tertio, essentiam aliam esse metaphysicam, quæ cum re, cui essentialis est, realiter identificatur: aliâ logicam, quæ cum ea etiâ ratione identificatur. Quorum nominum ea est origo, quod logicæ proprium sit, considerare identitatem, ac distinctionem rationis; metaphysicæ vero, non illam, sed identitatem ac distinctionem realem, cum ente reali ei subiecto coniunctas, vtramque, inquam, magis, aut minus expresso, iuxta diuersos auctores: proinde essentia logica iure dicitur, quæ ratione; & metaphysica, quæ re ipsa, intrinseca, & eadem est ei con-

ceptui, quem essentialiter afficit. Alios essentialiter modos tract. 3. cap. 2. discutiendos in præsens missos facio, quod ad nostrum institutum nihil referunt.

His statutis adstruo primò, prædicabilitas non est vllatenus de essentia, vel metaphysica, vel logica, aut quod perinde est, reali, vel rationis, quorundam vniuersalium. Probatur primò, quoniam vniuersale fieri potest per sensum, vt secundo loco præmissum, & lib. sup. latè probatum: at de essentia etiam metaphysica, & reali huius vniuersalis non est prædicabilitas: ergo. Minor probatur: quoniam nequit esse vllatenus essentialis actus primus, cui secundus repugnat, veluti si homini discursus actu secundo repugnaret, ei ratio discursui essentialis esse nequiret: sed vniuersali per sensum quatenus tali præcisè, repugnat actu secundo prædicari, quæ est sensus imperfectio, & ad prædicandum, atque vnum de alio affirmandum impotentia: nequit igitur prædicabilitas ei vllatenus essentialis esse,

Dices, vniuersale per sensum esse essentialiter prædicabile, non vi ipsius sensus, sed vi intellectus, cum quo coheret, & cui subseruit, sicut verum, siue bonum verè cognitum prout tale est essentialiter amabile, non virtutè facultatis cognoscitiuæ prout talis, sed virtutè facultatis volitiuæ, cum qua prior illa suapte natura connectitur. Contrà primo: nam vniuersale per intellectum prædicari nequit, quin per intellectum fiat, aut cognoscatur, vt est euident: at vniuersale per sensum, prout præcisè tale, & seorsum à quouis eius ad aliam potentiam ordine factum, non efficitur, nec cognoscitur ab intellectu: ergo vniuersale sensibile ea ratione usurpatum non est prædicabile: sed ea, & non alia ratione à nobis in præsentem usurpatur. Contrà secundò: quia vniuersale per sensum belluinum, nec per se, nec per intellectum prædicari potest, cum sensus belluinus cum intellectu coniunctionem nullam habeat: at nos non minus de hoc vniuersali, quam de quouis alio, sensibili loquimur. Exemplum contrarium parum vrget: quemadmodum enim dicimus vniuersale per sensum prout eiusmodi dumtaxat, non esse essentialiter prædicabile, seu logicè, seu metaphysicè, seu re, seu ratione, quoniam id esset, sensum posse prædicare, aut affirmare, ac iudicium proferre,

A a 4 ita

ita consequenter tuetur, bonum vere cognitum prout præcisè obiectum facultatis cognoscitiuæ, nullatenus esse essentialiter amabile, hoc enim foret facultatem cognoscitiuam cognoscendo amare posse, quod repugnat. Cum verò dicitur vniuersale sensibile prout præcisè tale esse essentialiter prædicabile vi intellectus, contradicitur hoc ipso in terminos, & præcisio, ac reduplicatio super eam facta destruitur, & aliunde supponitur: quidem magis repugnat, quam ordo ad intellectum, & præcisio ab eiusmodi ordine coniuncta cum reduplicazione supra solum sensum: Atque eadem repugnantia, & contradictio visitur, in exemplo argumenti; cum scilicet affirmatur, bonum quatenus præcisè obiectum facultatis cognoscitiuæ, posse nihilominus à voluntate amari.

4 Secundò probatur eadē assertio: vniuersale fit per voluntatem: at hoc vniuersale non est prædicabile essentialiter, seu metaphysice, seu logice; seu re, seu ratione; cum voluntas prædicare, vnumvè de alio affirmare nequeat. Confirmatur: quoniam actus voluntatis præscindens rationem communem virtutis à suis inferioribus, & sine his eam adamans efficit vniuersale, de cuius essentia metaphysica, seu reali non fit prædicabilitas: nam idè vniuersale per apprehensionem factum est essentialiter prædicabile realiter, ac physice loquendo, quia talis, apprehensio connectitur essentialiter velut dispositio cum possibilitate iudicij, quo natura apprehensa de suis inferioribus prædicetur: at is actus voluntatis non connectitur cum iudicio, quo eius obiectum de pluribus prædicari possit: nec instar dispositionis, cum potius iudicium intellectus disponat ad actum voluntatis, quam è conuerso: nec instar effectus; quamuis enim effici possit actus voluntatis, de quo est sermo in præsentī, independentē tāli iudicio, illud tamen necessariò, ac essentialiter non exigit, sed solius apprehensionis simplicis præuia luce contentus est.

5 Verum enim obiicies insinuatam proximè doctrinam de apprehensua notitia, prædicabilitatem realiter essentialē, vniuersali, quod architectatur, communicante, non videri satis coherere cum iis, quæ de vniuersali sensibili statuimus. Nam idè vniuersale per notitiā apprehensiuam est essentialiter prædicabile, quoniam eiusmodi notitia disponit ad iudicium, quo vniuersale prædicetur, non verò, quia ipsa vis apprehensiuā, qua talis, possit prædicare: at etiam sensio nostra disponit ad iudicium, vi cuius vnum de alio prædicari possit: igitur vniuersale per sensum erit prædicabile essentialiter. Nec valet: si dicas eam disponere remotè, quia etiam notitia abstractiuā, qua videlicet homo solus, & sine vllō inferiori cognoscitur, remotè disponit ad prædicationem hominis, & inter eiusmodi notitiam, & iudicium mediat notitia comparatiua, siue apprehensio composita hominis, & Petri v.g. & nihilominus per talem abstractiuam cognitionem hominis, eiusque simplicem apprehensionem vniuersale resultat, illudque essentialiter prædicabile. Item 2. quia saltem prædicabilitas remota erit de essentia reali vniuersalis sensibilis, quod tamen inficiari esse videtur.

6 Occurrendum tamen est, nos potissimum loqui de vniuersali facto per sensum, qui non sit simul intellectus, nec cum eo coherere; non verò de sensu humano, qui simul est intellectus, aut cum eo coniunctus: vel secundò; nos loqui de quouis vniuersali sensibili, sed prout præcisè refertur ad sensum, & secluso ratione nostra ordine, quem ha-

beat ad intellectum, cum quo sit realiter idem, aut connexus. Hoc autem vniuersale, nec metaphysicè, nec logicè essentialē habet prædicabilitatem; id enim esset sensui aliquo modo essentialē esse potentiam prædicandi, vt supra exposuimus. Quod si sermo sit de vniuersali per sensum facto specificatiuè, & non cum superiori reduplicazione, fatemur in homine illi esse realiter essentialē, prædicabilitatem, tametsi non in belluis. Quare similiter vniuersale per apprehensionem factum distinguendum esse arbitramur, atque vno modo prædicabilitatem esse de essentia metaphysica, & reali, secus vero alio.

7 Tertiò probatur assertio nostra: quoniam, si quis per propositionem essentialiter veram, atque à Deo reuelatam affirmet, hominem, vt sic, actu secundo de nemine prædicari; vniuersale vi eius propositionis fabricatum prædicari nequit, alias ea propositio falsa futura esset: hominem enim eius beneficio actu prædicari, est eam esse falsam: ergò posse prædicari esset eam falli posse: prædicabilitas ergo ei vniuersali, nec re, nec ratione essentialis est: cui enim actus secundus repugnat, huic actus primus nullatenus esse potest essentialis, vt supra arguebamus.

8 Adstruo 2. Prædicabilitas est de essentia metaphysica, seu reali alicuius vniuersalis. Probatur, quia, aut homo vt sic fit vniuersalis per notitiā comparatiuam superius explicatam, & prout subest ei denominationi re ipsa est prædicabilis de multis, cum talis cognitio comparatiua eum de pluribus actu prædicet, si sit iudicatiua, & perfectā; sin autem sit mera apprehensio composita, disponat essentialiter ad iudicium, quo ita possit prædicari. Quia ratione connexio extremorum cum medio in præmissis cognita est essentialiter discursibilis, eo quod præmissa essentialiter ad discursum, seu conclusionem illius connexionis disponant. Aut homo vt sic fit vniuersalis per notitiā abstractiuam, & simplicem: atque hæc etiam ad eius prædicationem essentialiter disponit simul cum apprehensione inferiorum: qui enim hominem vt sic apprehendit, & alio actu Petrum, Paulumque, & alio identitatem vtriusque, per triplicem illam apprehensionem, ad hanc prædicationem, Petrus est homo, disponitur.

9 Adstruo 3. Prædicabilitas non est de essentia logica alicuius vniuersalis. Probatur, siquidem homo vt sic simpliciter apprehensus est vniuersalis: at quā sic apprehensus non est formalissime, seu ratione nostra prædicabilis de pluribus; prædicabilitas igitur non est de essentia logica huius vniuersalis, seu quod iuxta est, ab eo ratione distinguitur. Maior est lib. præter. probata. Minor probatur: quia prædicabilitas quatenus talis connotat formaliter prædicationem possibilem, & apprehensum simpliciter connotat apprehensionem simplicem possibilem: at respectus ad diuersa connotata ratione ratiocinata distinguuntur: homo igitur vt sic simpliciter apprehensus, & eo ipso vniuersalis quatenus talis, formalissime prædicabilis non est, ac proinde prædicabilitas de eius essentia logica non est. Confirmatur, & declaratur; rationale connotans discursum est prius risibili connotante risum discursu posteriorem, & hoc extra essentiam logicam illius est; natura igitur hominis confusè apprehensa, & vniuersalis prout talis connotans apprehensionem, est prior prædicabili connotante prædicationem, apprehensione posteriorem, & hoc extra essentiam logicam illius est.

Adstruo

10

Adstruo quartò Prædicabilitas est de essentia logica alicuius vniuersalis. Probatur primo: quoniam prædicabilitas vt sic à nobis concepta sine hac, & illa, vel est quid vniuersale, vel singulare; non singulare: ergo vniuersale: at de huius vniuersalis essentia logica est prædicabilitas, cum eius materiale sit, quæ ratione de essentia logica albi, non solum est forma albedinis, sed etiam eius subiectum, nec nisi vtroque concepto album quidditatiuè concipias. Minor argumenti, quæ sola potest aliquam difficultatem ingerere, sic probatur: prædicabilitas vt sic non prædicatur de vno solo: ergo quid singulare non est. Rursus singulare nequit esse passio vniuersalis, oppositum enim nequit esse passio oppositi; quo pacto spiritus habere nequit proprietates omnino corporeas, aut corpus omnino incorporeas, & spirituales: at prædicabilitas est passio logica alicuius vniuersalis, vt potè extra eius essentiam logicam, eoque posterior, vt assertionem præcedenti vidimus: nequit igitur esse quid singulare. Item quia prædicabilitas vt sic ita comparatur cum hac, & illa prædicabilitate, sicut animal cum hoc, & illo animali: ergò sicut animal est vniuersale, ita prædicabilitas.

11

Secundo probatur eadem assertio; quoniam prædicabile de pluribus est formalissime esse aptum inesse multis: ergò vnum prædicabile de pluribus est formalissime vniuersale, ac proinde illud de huius essentia logica erit. Antecedens probatur: esse subiectum, seu subiecti est subesse ei, cui subiicitur: ergo esse prædicatum, seu prædicari de pluribus est formalissime inesse pluribus, de quibus prædicatur: ergo vnum quid esse prædicabile de multis est formalissime posse, seu aptum esse inesse pluribus, provt ad vniuersale oportet. Tertio probatur eadem assertio: quoniam genus est quoddam vniuersale iuxta omnes: at de eius essentia logica, ac non solum reali, sed etiam rationis est prædicabilitas; definitur enim quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quid, siue quod potest ita prædicari; verba enim in definitionibus significare solent magis aptitudinem, quam actum: Definitio autem est de essentia logica definiti, vt constat exemplo hominis, & animalis rationalis: prædicabilitas ergo logicè essentialis est alicui vniuersali. Par argumentum fieri potest in specie, quæ de pluribus differentibus numero in quid; in differentia, quæ de pluribus in quale quid: in proprio, & accidenti, quæ de pluribus in quale, aut necessario, aut contingenter prædicantur, atque per huiusmodi prædicationem possibilem à Porphyrio in ysaïe sue & Dialecticis omnibus definiuntur.

CAPVT II.

Aliqua colliguntur corollaria.

12

EX dictis colligitur primò contrà P. Hurtadum disp. 3. log. sect. 2. §. 11. ad finem; vniuersale metaphysicum à logico dupliciter discriminari posse. Primò, vt vniuersale metaphysicum sit, de cuius essentia metaphysica, seu reali prædicabilitas proxima, aut remota; logicum verò, de cuius essentia etiam logica, ac formali est alterutra prædicabilitas. Secundo, vt vniuersale metaphysicum sit, de cuius essentia nullo modo est prædicabilitas proxima, aut remota; logicum verò, de cuius essentia aliqua, & vel reali, vel rationis est alterutra prædicabilitas.

Prioris discriminis ratio est aperta, & per se satis dilucida. Posterioris ratio haud etiam est ad modum difficilis: cum enim logicæ facultatis proprium sit, prædicationes considerare, non vero metaphysicæ, iure merito dicitur vniuersale logicum, quod quocunque modo est essentialiter prædicabile, & seu hæc denominatio metaphysicè, seu logicè ei sit essentialis; metaphysicum verò vniuersale, cuius essentia neutiquam est posse prædicari. Vt autem omnis vitetur confusio, illud animaduertas velim iuxta priorem vtriusque vniuersalis explicandi modum, haud raro aliquid esse posse vniuersale metaphysicum, quod iuxta posteriorem sit logicum, & è conuerso; quocirca, si alteram amplectaris explicationem, oportet te alteram veluti falsam reiicere: quod non prohibet, quo minus vtraque sit probabilis. Atque vniuersale logicum, ac metaphysicum suapte natura differre, sicut hactenus edocuimus, & bona pars nostrorum cum P. Arriaga lib. 2. dist. 4. sect. 1. num. 5. & etiam vniuersa tenet Scotistarum ratio, vt vel P. Hurtadus insinuat nuper citato loco.

13

Colligitur secundo aduersus Scotum quæst. 15. Mauritium, Antonium Andreæ, Tartaretum, aliosque Scotistas, prædicabilitatem non esse de essentia logica vniuersalis vt sic, & vniuersalissimè sumpti. Quod enim logicè essentialis est rationi communi, cuius inferiori, eodem essentiali modo esse debet: sicut, quia animal rationale est de essentia logica hominis, Petro, & Paulo, & reliquis eiusdem speciei indiuiduis logicè essentialis est. Vnde, si prædicabilitas essentialis esset logicè vniuersali vt sic, cuius vniuersali foret similiter essentialis; quod autem de aliquorum vniuersalium essentia logica non sit prædicabilitas, assertionem tertia demonstratum est: ergo de essentia logica vniuersalis vt sic neutiquam potest sustineri. Atque hoc ita se habere à fortiori tenent authores proximè citandi, qui in ea sententia sunt, vt existiment prædicabilitatem esse passionem logicam vniuersalis in communi, & quatenus latissime funditur. Argumentum verò, quibus Scotistæ, & cum eis P. Hurtad. supra, ac nostrorum pauci alij nituntur, haud magnopere premunt; quippe quæ non de vniuersali, vt sic, omnique eius specie, sed de aliqua duntaxat procedunt.

14

Colligitur tertio, aduersus Veracruçium quæst. 4. in procemium, & Albertum, Socum, aliosque Thomistas, item aduersus Toletum, nec non Bartholomæum Amicum tract. 6. log. quæst. 9. dub. 1. prædicabilitatem non esse passionem logicam vniuersalis vt sic: Atque ita aduersus hos authores sentiunt omnes ij, quos numero præcedenti laudauimus, & eos præter Raphaël Auerla q. 8. log. sect. 16. §. propter hæc explicare oportet, ad eius medium. Ratio vero huius collectionis est eadem, quæ superioris seruata proportionè: namque, quod est passio logica vniuersalis vt sic, nulli vniuersali ei subiecto potest esse logicè essentialis; quo pacto risibilitas eo, quod sit logica hominis passio, nequit esse Petro, & Paulo logicè essentialis: at prædicabilitatem esse logicè essentialem quibusdam vniuersalibus, manet superius ostensum: haud igitur potest esse passio logica vniuersalis in communi.

15

At enim obiiciunt aduersarij: prius est vnum esse in multis, quam esse de illis prædicabile, cum ideo de illis sit prædicabile, quia est in illis: quoduis igitur vnum in multis, seu vniuersale, provt eiusmodi, respicit velut passionem se posteriorem, & consequenter ratione distinctam sui prædicabilitatem

tatem de multis: hæc ergo est passio logica vniuersalis vt sic, siue in communi, quod enim logicè accidit cuius rationi inferiori, nequit non consequi velut passio rationem communem, vt ipso risibilis liquet exemplo. Confirmatur: quoniam obiectum est prius actu, per quem potest cognosci; prius ergo est vnum esse in multis, quam quod de eo cognoscibile sit per prædicationem, quod in multis reperitur: quæ ratio in omni vniuersali militat. Occurres tamen huic difficultati hoc modo: prius est rem esse vnam in multis per notitiam abstractiuam, ac simplicem aut quandam etiam comparatiuam quam esse prædicabilem: at non est prius rem esse vnam in multis per prædicabilitatem de illis, quam esse prædicabilem de illis. Quod autem posse prædicari de pluribus sit formalissime posse esse in illis, seu esse aptitudinaliter in illis, constat ex his, quæ superius assertionem quarta diximus. Ad confirmationem ita respondebis prius est rem esse, quam posse prædicari, cognoscive, at vero non est prius rem esse vniuersalem aliqua vniuersalitate, quam posse prædicari: hoc autem, non verò illud solum asseruimus.

16 Colligitur quartò, prædicabilitatem haud esse de essentia etiam reali, ac metaphysica, vel vt alij loquuntur, physica vniuersalis in communi. Quæ doctrina, vt ingenue fatear, est aduersus authores toto hoc cap. relatos: qui enim cum Scoto docent prædicabilitatem esse logicè, ac ratione nostra vniuersali vt sic essentiali, ei realiter, ac metaphysicè illam essentiali esse, atque eandem haud dubiè existimant. Rursum qui cum Alberto eum aiunt esse passionem vniuersalem, vt sic, non de passione physica, ac realiter distincta, sed de logica, atque ab vniuersali vt sic duntaxat ratione distincta, adeoque illi realiter, ac metaphysicè essentiali sermonem habent, vt scitè monet P. Hurtadus supra sect. 2. §. 8. prope medium. Cæterum doctrinæ nostræ ratio est perspicua ex dictis assert. 1. huius cap. ibi namque probatum manet, prædicabilitatem haud esse realiter essentiali quibusdam vniuersalibus: qui ergo potest esse de essentia reali, ac metaphysica vniuersalis in communi? alioqui profecto cõminisci fas erit, accidentia Petri, & Pauli, v. g. ab eis realiter distincta, nihilominus homini vt sic realiter eadem, & essentialia esse.

17 Colligitur quintò, prædicabilitatem vniuersalem in communi, nec passionem realem, aut physicam esse. Cuius ratio est, quia consequenter esset passio, saltem realis, ac physica cuiusuis vniuersalis in particulari, quod tamen est falsum, cum aliquibus physicè, ac realiter repugnet, imò multo magis, quàm calor aquæ, aut frigiditas ignis; iuxta ea, quæ supra assert. 1. differuimus. Colligitur sextò, quod assert. 2. diximus, prædicabilitatem esse essentiam realem, seu physicam, nostræ phrasi metaphysicam aliquorum vniuersalium, non verò passionem eorum realem, hoc ita intelligendum esse, si eiusmodi vniuersalia sumantur pro formali, vt aiunt, & pro vt subiunt secundis intentionibus nostris, vt nostras rationes inspicienti constabit, secus verò, si accipiantur pro materiali, siue rebus ipsis: hæc enim per actus intellectus possibiles à se realiter distinctos denominantur prædicabiles vt perspicuè docent Auerlæ & Hurtadus locis citatis. Atque rationes Alberti, Veracruzij, & aliorum supra collectione 3. propositæ, non prædicabilitatem esse passionem logicam nostrorum vniuersalium, vt pollicebantur, sed eorum passionem physicam ab eis pro materiali sumptis realiter distinctam suadent, vt illarum vim recolenti clarebit. Denique colligitur, prædicabilitatem, comparatam cum vni-

uersali vt sic, nec eius essentiam realem, aut logicam, ac rationis, nec etiam alterutro modo eius passionem esse, sed vt cognoscatur qualis sit respectu illius, ad varias vniuersalis species oportere descendere.

CAPVT III.

An prædicabile sit ratio communis vniuersalis ad quinque prædicabilia.

18 QVæstio hæc difficilis est, & inter authores non mediocriter controuersa. Duæ autem sunt in ea extremæ sententiæ. Prior est prædicabile, seu vniuersale vt sic esse rationem communem vniuersalem ad quinque prædicabilia, videlicet genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens. Ita Scotus qu. 8. in Porphyrium §. *propter hoc*. Mauritius à portu contrarianus vterque meus, Tartaretus quæst. 2. & alij Scotistæ. Item Okamus tom. 1. log. 1. §. in fine, & cum eo plerique Nominales. Rursus Soncinas ante caput de genere quæst. *an hæc diuisio*. Scotus quæst. 4. ad 2. Capreolus in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. ad 2. Aureoli contra primam conclusionem, Robertus Holcot. in 1. quæst. 6. littera M. ad 4. Cardinalis Toletus quæst. 2. in Porphyrium. Hurtadus disp. 7. log. sect. 1. Compton. disp. 3. log. sect. 3. Rubius quæst. 7. de vniuersalibus num. 113. Arriaga disp. 9. log. sect. 2. conclus. 2. Amicus tract. 10. log. quæst. 11. B. Thom. in questionibus de vniuersalibus quæst. 2. lauellus tract. 4. de quinque prædicab. cap. 5. & 6. Mursia in logic. tract. de vniuersalibus disputat. 3. quæst. 1. Masius, Gallego, & alij plures quos referre superuacat.

19 Contraria sententia negans est etiam plurimum, & grauium authorum: eam enim tenent Ammonius, & Boëtius in definitione generis, Simplicius in prædicam. & communiter Græci interpretes. Item Auerlæ cap. 7. logic. Albert. tract. 2. in vniuersalia cap. 9. Paulus Venetus quæst. de subiecto Porphyrij, Petrus Niger quæst. 16. Colonienfes in processum Porphyrij, Clypeus Thomistarum quæst. 16. in antepædicam. Petrus de Bruxellis ibid. quæst. 2. art. 1. Canterus cap. 4. prædicam. Rursus Fonseca lib. 5. metaph. cap. 28. quæst. 2. §. *quocirca si simpliciter & absolute loquamur*. & Conimbr. tom. 1. log. quæst. 1. in præfat. Porphyrij art. 2. conclus. 2. prope initium: quamuis enim ambo vniuersalitates, seu relationem vniuersalem ad particularia rationem vniuersalem arbitrentur esse ad quinque relationes inferiores sibi subiectas, cæterum ipsum vniuersale, seu prædicabile in communi pro vt est concretum, & absolute sumitur esse rationem vniuersalem, & genericam ad quinque vniuersalia locis citatis expressè denegant. Præterea qui in præf. quæstione duntaxat aiunt vniuersale pro formali, siue vniuersalitates esse conceptum vniuersalem, & non analogicum ad genericitatem, specietatem, ac cæteras vniuersalitates, videntur supponere concretum ipsum, siue vniuersale vt sic absolute sumptum haud esse rationem communem vniuersalem ad quinque vniuersalia; ita verò quæst. hanc decidunt: atque in præfati puncto loquuntur Auerlæ quæst. 8. log. sect. 16. à §. *pro solutione huius dubij*. Balthazar Tellez 1. part. summæ philosoph. disputatio. 5. sectione 2. atque alij non pauci.

20 Aduersus priorem sententiam pro posteriori non pauca, nec leuia sunt argumenta: Primum est tale; quinque vniuersalia circulo suo comprehendunt omnia,

omnia, quæ ab intellectu possunt fieri, siue realia sint, veluti animal, homo, siue solius rationis, veluti chimæra, hyppo-centaurus: at vniuersalia realia, & rationis nullam habent rationem communem vniuocam, nullam, in qua simpliciter ambo conueniant; enti enim, & non enti quid potest esse vniuocè commune? eam ergo quinque vniuersalia non habent, ac proinde in ratione vniuersalis vt sic nequeunt vniuocè conuenire. Respondeo, quod asserit prior sententia predicabile, siue vniuersale vt sic esse conceptum communem vniuocum ad quinque vniuersalia, id intelligendum esse seruata proportione, videlicet vniuersale reale, ad quinque vniuersalia realia, & vniuersale solius rationis ad vniuersalia chimærica, ac rationis. An autè vniuersale vt sic sit ratio communis vniuoca ad vniuersalia tam realia, quam solius rationis, alia est quæstio, eaque, ne cum præfenti confundatur contra rectam methodum, inferius cap. 3. ventilanda: quamobrem obiectio facta haud est ad rem, qua de agimus. Quid? quod vniuersalibus quibusuis, ac tam realibus, quam solius rationis vnum esse conceptum vniuocum, non rei, sed obiecti cogniti, seu vniuersalis, loco iam memorato constabit? Quid etiam? quod, eio eiusmodi conceptus vniuocus quibuslibet vniuersalibus communis non detur, haud sequitur eum non dari respectu quinque predicabilium: nam fortassis hæc non se extendunt ad quæuis vniuersalia etiam ficta, ac solius rationis, vt dicitur ibidem: quo pacto etiam iuxta plerisque ipsum ens in communi, eio sit vniuersale, & vniuocum, minimè complectuntur: si quod etenim eorum esset ens, maximè genus, tale autem communiter negari consuevit, propter id, quod substantia, &, quæ sequuntur predicamenta decem suprema genera, & sint, & dicantur.

21 Secundum argumentum sic se habet; vniuersale vt sic est concretum per accidens ex natura communis, & actu aliquo intellectus eam obscure, ac sine inferioribus suis cognoscente, vel certè aliqua relatione fictitia ab eo in naturam cognitam refluentem; quid enim horum dicatur parum interest ad præsentem controuersiam: sed concretum, siue vnum per accidens nequit esse ratio communis vniuoca; quæ enim vniuoca sunt definiri solent, ea, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ nomini accommodata omnino eadem: vnum vero, seu concretum per accidens, præsertim extrinsecus coalescens, ita comparatum est, vt eius ratio non sit omnino eadem, vnave, sed potius simpliciter, & omnino, aut per se diuersa, ac multiplex, quæ est diuersitas, atque se-
iunctio partium, quibus coheret. Sed tamen Caietanus, Villalpandus, & Conimbricenses loco citato, aliique nonnulli putent vnum per accidens haud posse esse vniuersale, haud rationem communem vniuocam; at contrarium fusè probabitur inferius tractatu tertio, & vel ex eo constat, quod habitus, scilicet esse vestitum, aut armatum, sit predicamentum, ac supremum genus, iuxta omnes, adeoque ratio communis vniuoca; nemo enim hæc duo dissociare ausus est, vel aliquid esse genus, & non vniuocum arbitratus: atqui habitus est vnum per accidens & extrinsecus constitutum. Quod argumentum, aliæque plura relato tractatu vide, si lubet. Porro autem ratio vniuoca dicitur omnino vna, & eadem comparatione partium inferiorum, ac subiectuarum à quibus est abstracta, & quarum diuersitatem consequenter excludit, non verò partium actualium, quas includere diuersas, haud est contra omnimodam identitatem vniuocorum propriam: ac proinde hæc toti per accidens, quidni conueniat? Hinc con-

stat argumentum contrarium, quæ est minoris, quam assumit falsitas, nihil omnino concludere.

22 Tertium argumentum. Duo postrema predicabilia, scilicet proprium, & accidens pendet à tribus primis, videlicet, genere, specie, & differentia: quis etenim non videat, risibilitatem, v. g. posteriorem esse rationalitate, & animalitate, ac proinde toto homine, & tam ab hoc, quam à prædictis eius partibus quodam rationis processu manare: ecquis etià non conspiciat, prius hominem, & animal, ac rationale consequenter esse, quam sit albus, aut hoc illi accidens conueniat: sed propter dependentiam accidentis physici à substantia, & creaturarum à Deo, dici consuevit, & non immeritò, rationem entis, illamve aliam eis vniuocam esse non posse, ergo similiter, &c.

23 Occurrendum tamen huic argumento, in primis eius minorem esse falsam, Deoque, & creaturis. substantiæ, & accidenti ens vniuocum esse, vt liquebit in metaph. lib. 3. tract. 2. dependentia autem, qua vniuocatio, tum entis respectu suorum inferiorum, tum etiam predicabilis comparatione generis, speciei, & cæterorum tolli probatur, ibidem est latè reprobata, velut ad id cuius gratia obiicitur inutilis, ac parum idonea: Nam qualitas est genus supremum, adeoque aliquid vniuocum respectu lucis, & caloris, cognitionis, & amoris, habitus, & actus, etiam si earum qualitatium, quæ posteriori loco memoratæ sunt à prioribus dependeant. Verum ne hæc, & alia superius dicta non sine lectoris molestia, ac fastidio repetam, intra præsentis materiæ carceres optimo res exemplo potest ostendi. Nam proprium est vniuocum contemplatione huius, & illius proprii, vel iuxta aduersarios, exemp. gra. risibilis, & admiratiui, cum tamen illud ab hoc dependeat: quidni ergo vniuersale sit vniuocum, & genus respectu trium priorum predicabilium, ac duorum posteriorum, v. g. respectu risibilis: & albi ex vna parte, & ex alia hominis, animalis, & rationalis, vtut ab his illa dependeat.

24 Secundò occurri potest eidem argumento, proprium bifariam sumi posse, videlicet, aut primò intentionaliter, quo pacto solam risibilitatem, v. g. aut vim admiratiuam secundum se importat; vel secundò intentionaliter, quo pacto ambas, non secundum se præcisè, sed prout confuse cognitæ, & ab inferioribus abstractas complectitur. Pari ratione accidens, pari genus, speciem, & differentiam distinguere oportet. Largior ergo aduersariis, quinque illa predicabilia haud vniuocè conuenire in ratione vniuersalis, seu predicabilis, aliæve vlla, si sumantur omnia, & singula primò intentionaliter, propter id, quod ita sumpta inuicem dependent, vti obiectis constat exemplis. Cæterum hoc diffiteor, ea secundo intentionaliter sumpta, & prout quodlibet eorum ab actu aliquo nostro extrinsecè cognoscitur, & vniuersale denominatur, haud conuenire vniuocè in ratione vniuersalis vt sic, siue predicabilis, aut argumento facto istud vllatenus concludi: namque si ita sumantur, nullam habent dependentiam alia ab aliis; vt enim cognoscatur risibile, non est necesse prius rationale cognosci, aut posteriorem hanc cognitionem illius causam esse, eive, quod aiunt faciem præferre, cum potius contrarium accadat, quoties à posteriori arguimus, & essentiam de aliqua re per eius proprietates prius cognitæ demonstramus: risibile ergo prout cognitum, seu quatenus vniuersale, & predicabile non dependet à priori, à rationali, animali, aut homine eodem modo sumptis, & prout generis, speciei, ac differentię extrinsecam rationem
indu

induunt: quidni ergo hæc tria vniuersalia cum proprio & accidenti in denominatione extrinseca vniuersalis, seu prædicabilis vniuoce conueniant.

24

Quantum argumentum simile præcedenti: accidens physicum haud conuenit vniuoce cum substantia itidem physica in ratione entis realis: ergo accidens logicum non conuenit vniuoce cum substantia, siue essentia logica in ratione entis intentionalis, siue vniuersalis, prædicabilisve. Duo autem posteriora prædicabilia sortiuntur naturam logici accidentis, proprii quidem, aut communis, ac tria priora substantiæ, siue essentiæ logicæ, vt inter omnes exploratum est, & merito, quoniam hæc in quid, illa vero in quale prædicantur: alia ergo cum aliis in ratione prædicabilis, aut vniuersalis, siue entis intentionalis vniuoce non consentiunt. Sed primum antecedens est falsum, & permissa eius veritate, consequentia nulla. Non enim sicut accidens physicum à substantia eiusdem ordinis in ratione entis realis dependet à priori, ita accidens logicum seu prædicabile propterea tale à substantia, siue essentia eiusdem seriei à priori pendula est, vt paulo supra vidimus.

25

Aliis terminis superius argumentum opponi solet, & ita oppositum sit quintum. Modus prædicandi, seu cognoscendi sequitur modum essendi, & alter habet cum altero proportionem: at esse in communi nequit vniuoce complecti id quod est à parte rei substantialiter, & quod accidentaliter: ergo prædicari in communi nequit esse vniuoce ratio respectu eius, quod substantialiter, & in quid, siue instar generis, speciei, aut differentiæ, & eius, quod accidentaliter, atque in quale, siue instar proprii, vel accidentis enunciat. Sed quod exigenda non sit proportio penes omnia inter modum essendi, & prædicandi, cognoscendive, perspicuum est, quoniam res sunt à parte rei determinatæ, prædicantur vero, & cognoscuntur multoties confusè solum, & indeterminate, item, quia res sunt cum dependentia à priori vnius ab alia, quin tamen eius rei, quæ prior est alia, eiusque causa, cognitio similem prioritatem, aut causalitatem exerceat respectu cognitionis per quam apprehenditur alia: quocirca nihil mirum, si quoad inuocationem non feruent proportionem, neque si modus essendi, siue conceptus obiectiui entis sit vniuocus comparatione eorum, quæ substantialiter, & accidentaliter existunt, modus prædicandi, siue conceptus prædicabilis vniuocus sit intuitu eorum, quæ in quid, & in quale dicuntur.

CAPVT IV.

Aliorum argumentorum aduersus priorem sententiam solutio.

26

Sextum argumentum: genus est magis vniuersale, quam species, cum plura inferiora comprehendat: inæqualiter ergo rationem vniuersalis participant, adeoque in ratione vniuersalis vniuoce non conueniunt: quæ enim vniuoce sunt ea sunt omnino eadem, & æqualia, ac proinde contraria inæqualitas vniuocationem omnem vbiuis interimit: vnde merito inæqualis participationis entis in eo, non vniuoce, sed analogicè substantia, & accidens, Deus, & creatura conueniunt.

Sed in primis permitto, & genus, speciem inæqualiter participare ratione vniuersalis, quid inde?

An non homo perfectius animal est, quam bellua, eamque rationem communem, & genericam inæqualiter ambo participant? & tamen iuxta omnes vniuoce in ea conueniunt. Definitio autem vniuocorum haud probat contrarium: etenim quod participatio aliqua, seu contractio sit inæqualis, nihil prohibet, quominus ratio abstracta propterea talis, ac circumscripta quauis eius contractione, sit omnino eadem, sicut ad vniuocationem oportet. Haud etiam magis vrget exemplum substantiæ, & accidentis, Dei & creaturæ. Probabilius enim est, vt diximus, hæc omnia, quamuis inæqualiter participant rationem entis, nihilominus in ea vniuoce conuenire. Deinde 2. quod se ad plura genus extendat quam species, arguit quidem illud extensiuè esse magis vniuersale, quam speciem, non vero intensiuè: intensiua namque, & essentialis ratio vniuersalis posita est in eo, quod sit abstracta à suis inferioribus: talis autem ratio quantum in genere, tantundem in specie reperitur. Porro istiusmodi secunda æqualitas, videlicet intensiua satis, superque est, vt absolute sit ratio vniuoce, & non analogica vniuersale respectu generis, & speciei, quidquid sit, an si non daretur, sed potius contraria inæqualitas, ea vniuocationi obesset: siquidem quantitas est ratio vniuoce comparatione eius, quæ bicubita est, & eius, quæ tricubita; attamen vtraque quantitas extensiuè loquendo non est æqualis in ratione quantitatis, quando quidem vna plures partes versus locum habet, quam alia; solumque intensiuè sunt æquales in ratione quantitatis, quoniam tam quantitas est vna, quam alia, eiusque definitionem ambæ ex æquo participant. Rursus hæc veritas, viginti homines currunt, & hæc duo currunt, extensiuè sunt inæquales, propter id, quod pluribus obiectis vna quam alia conformatur: at quia intensiuè æquales sunt, idcirco veritas in communi, respectu illarum, & aliarum quarumvis, est ratio communis vniuoce.

27

Septimum argumentum: vniuersale definiri solet vnum in multis, accidens autem, siue proprium, siue commune, est in multis secundum quid, & improprie, genus vero, species, & differentia simpliciter, & proprie: duo ergo illa prædicabilia priori loco memorata, ita comparantur, vt alterutrum eorum sit secundum quid vniuersale, tria verò postea enumerata, vt eorum quoduis sit simpliciter vniuersale, ac proinde alia cum aliis in ratione vniuersalis vniuoce non conueniunt, haud secus ac ens reale, & fictum in ratione entis citrà dubium vniuoce non conueniunt, propterea quod alterum sit ens simpliciter, & alterum secundum quid. Porro discrimen illud essendi in multis, videlicet simpliciter, & secundum quid, inter priora prædicabilia, ac posteriora suadet; reliquæ enim argumenti partes nulla probatione indigent. Eatenus aliquid est in multis deque iis prædicabile, quatenus cum illis identificatur, vt sponte sua notum, comperitque: atqui accidens, siue proprium, siue commune, non est idem simpliciter, & strictè cum substantiis illis, de quibus prædicatur: qui enim fieri potest, vt accidentis, & substantiæ realis distinctio cum vera, & propria vtriusque identitate coherere? nisi verò ambobus intrinseca vniuoce, vniuoque in alia receptio, instar identitatis habeatur, quo tamen nihil confingit potest absurdum. Quod si compararetur alterutrum accidens, non cum solis substantiis inferioribus, sed cum accidentibus, v.g. calidum in octauo, & summo gradu, non cum hoc, & illo igne, sed cum hoc, & illo calido propterea tali,

aut

aut album, non cum Petro, & Paulo, sed cum hoc, & illo albo, iam non erit ea prædicatio accidentalis, quæ de loquimur, sed essentialis, eo quod huic, & illi calido & etiam huic, & illi albo prout talibus rationes albi, & calidi haud aliter conueniant ac diuersis hominibus quidditas humana. Contra verò genus, species, & differentia, cum sint indistincta realiter à suis inferioribus, in quo ab utroque accidenti dissident, cum iis simpliciter, ac summo quidem rigore identificantur. Trium ergo prædicabilium, quæ priori loco enumerauit Porphyrius, quoduis est simpliciter vnum in multis, nec nisi secundum quid duo illa, quæ posteriori loco recensuit.

28 Hoc vnum supererat, vt aduersarij, ne quinque vniuersalium vniuocam conuenientiam admitterent, quadam eorum simpliciter vniuersalia esse negarent. Quam immerito tamen hoc faciunt, in proclui est ostendere. Næ prædicationes, Petrus est albus, Paulus est albus, strie & rigore loquendo, non sunt singularis de singulari: ergo vniuersalis de singulari: accidens igitur commune, & a fortiori proprium est propriæ, ac simpliciter vniuersale. Item secundò Porphyrius inter quinque vniuersalia numerauit accidens, proprium & commune, nulla facta limitatione, aut additione diminuente, & haud aliter, ac genus, speciem, & differentiam; quemadmodum ergo hæc, sic, etiam illa verè vniuersalia esse censuit.

Deinde tertio, vt quidpiam sit vnum in multis, idque propriæ, & simpliciter, sicut ad verè vniuersalis rationem oportet, solam identitatem inadæquatam, non verò adæquatam & maiorem cum iis exposcit: cuius rei argumentum esse potest, quod vniuersale sit in multis etiam diuinae sumptis, homo v.g. in Petro, & Paulo singulatim usurpatis: alteruter enim eorum, prout ab alio condistinctus, est homo, & hanc rationem participat: at vniuersale cum inferioribus suis ita acceptis, homo ex. g. cum Petro prout condistincto à Paulo, & e conuerso, identitatem adæquatam nequiquam habet, sed solam inadæquatam. Quocirca cum accidens commune, & proprium, cuiusmodi sunt album respectu hominis, & calidum in octauo gradu respectu ignis cum substantiis, de quibus prædicantur eadem sint inadæquate, & rationem essentialiam ab iis abstractam pro materiali, & instar subiecti intimè includant: mirandum non est, quod in illis sint propriæ, & simpliciter, quemadmodum, vt vera sint vniuersalia, omnino requiruntur.

29 Præterea quarto: homo simpliciter, & propriè dici solet de nouo productus, quando ex parentis utero nascitur: at solum inadæquate terminat nouam primamque productionem, scilicet penes animam rationalem, eiusque vnionem, non vero secundum materiam, quæ iam olim est creata & in lucem edita, quando Deus orbem hunc initio condidit: tamen ergo esse album v.g. cum Petro, & Paulo inadæquatam duntaxat identitatem habeat, cuiusmodi tamen accidens quintum prædicabile veram, & propriam cum eis ortietur identitatem, illisque, quod consequens est, simpliciter inerit, sicut ad verum vniuersale oportet: aliorum autem accidentium, siue propria, siue communia sint, par est ratio. Atque hinc ad argumentum contrarium, & principium illud, cui potissime innititur, liquetdo constat.

30 Octauum argumentum: si vniuersale esset ratio communis vniuoca ad quinque vniuersalia inter se tanto perè diuersa, esset consequenter respectu eo-

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

rum genus, ac proinde singula illorum forent eius species; cuius enim generi suæ species correspondent. At primum prædicabile nequit esse species vllius generis, cum sit genus, generi autem speciem esse repugnet: singula ergò quinque prædicabilium nequeunt esse species prædicabilis, siue vniuersalis in communi, atque adeo hoc contemplatione eorum genus, ac ratio vniuoca esse non sustinet. Respondeo: quemadmodum animal v.g. est simul species subiectibilis respectu viuientis, & genus respectu hominis, & beilux, ita similiter primum prædicabile esse posse speciem subiectibilem comparatione vniuersalis, siue prædicabilis in communi, nec non genus comparatione suorum inferiorum, videlicet huius, & illius generis: neque vllam repugnantiam in eo reperiri, quod idem sit simul genus, & species relatione eius facta, non ad idem, sed diuersa, quorum aliis subiciatur, de aliis vero prædicetur.

Nonum argumentum; vniuersale est vnum non repugnans esse in multis; haud enim opus est, vt iis actu inexistat: sed non repugnantia est quadam negatio: igitur vniuersale pro formali est sola negatio, negationis autem, siue non entis nequaquam datur ratio communis vniuoca, ea siquidè non entis vniuoca ratio plures negationes inter se essentialiter dissimiles complectens, eo ipso foret genus, haud aliter, ac animal comparatione inferiorum suorum inuicem dissimilium. Consequens vero istud absurdum prorsus est, quoniam generi omni suæ species respondent, vt nuper diximus, non entis autem nullæ possunt esse species: ergo nec genus. Quod species omnes non entis planè repugnent, & est manifesta Aristotelis opinio in fine Topicorum, & alibi sæpe, nec non sponte sua constat; species enim cum quidditate, & essentia recurrit, & eadem est: non entis autem quæ quidditas, aut essentia excogitari potest?

31 Respondeo, repugnantiam, siue ineptitudinem, aut impossibilitatem esse negationem quandam; unde non repugnantiam esse negationem negationis. Negatio autem negationis est positio aliqua, & quidpiam verum, ac reale: quo pacto, qui ait, Petrum v.g. non esse non hominem, quid aliud, quam eum esse hominem affirmat? Quapropter, tamen vniuersale pro formali sit non repugnantia existendi in multis, nihilominus aliquid positium, non vero re ipsa negatiuum censeretur debet, ac proinde huiusmodi conditio, etiam si requisita sit ad abstractionem, ratio communis, & vniuoca vniuersalis, seu prædicabilis optime poterit abstrahi. Deinde, fac vniuersale pro formali esse veram negationem, hoc tamen eius abstractioni, & vniuocationi nihil oberit: vna namque negatio, & alia tam conueniunt in ratione negationis, siue non entis, ac duo entia in conceptu obiectiuo entis: cum ergo abstractendi fundamentum sit inferiorum conuenientia, & vniuersaliusmodi rationis æqualis participatio, quemadmodum entis, ita & non entis, adeoque etiam vniuersalis quod permittimus inter non entia numerandum, fieri poterit vera abstractio, & cum ea coniuncta vniuocatio. Quod autem infertur, negationem illà vniuersalis constitutiuam fore genus habituramque alias negationes sibi specierum instar subiectas, quod tamen videtur absurdum, absolumque, hoc inquam haud sequitur: nam vti ens communissime sumptum est vniuersale, & abstractum, atque vniuocum iuxta Scotistas, aliarumque partium non paucos sectatores, quin tamen iuxta plerisque eorum genus sit, sed decem supremis generibus,

B b

neribus,

neribus, seu prædicamentis alius quiddam, atque superius; cur etiam negatio aliqua, aut vniuersale eam pro formali inuoluens, ratio communis vniuoca, & abstracta esse non possit, quin propterea generis rationem obtineat, aut species vllas contineat.

33 Decimum argumentum. Si vniuersale, seu prædicabile vt sic quinque vulgaris eius speciebus est ratio communis vniuoca, atque generica, sanè hæc prædicatio, *uniuersale est genus*, erit directa, non minus, quam hæc, *animal est genus*, *viuens est genus*; sicut enim præter animal, & viuens, ita etiam præter vniuersale in communi multa alia reperiuntur genera: non magis igitur de illis, quam de hoc genus directe enunciabitur; qua etiam de causa viuens, vt exemplis adductis insistamus, de animali, & hoc de homine directe prædicantur. Rursus, quod omnino repugnat, ea prædicatio erit simul indirecta idcirco namque hæc propositiones, animal est homo, viuens est animal, sunt indirectæ, quia singulæ sunt inferioris de superiori, sed cum genus de vniuersali, tum inferius de superiori dicitur: quis enim neget, genus esse inferius prædicabili vt sic, quod non magis à cæteris quatuor, quam ab illo abstrahitur.

34 Reponderi tamen facillè potest, hanc prædicationem, *uniuersale est genus*, esse directam, propter generis amplitudinem, qua tum vniuersale, tum alia genera coercet: eam verò neutiquam indirectam esse, quoniam etsi inferius de superiori prædicet, non tamen quod omnino inferius sit, sed quod simul sit superiori suo inuicem superius; quod quatenus non repugnet, cap. sequenti declarabitur. Tunc autem propositio aliqua euadit indirecta, quando inferius omnino & prorsus tale de superiori enunciat, illudque ei veluti superimponit, contra quam rerum directus ordo postulat: atque hoc, & non amplius suadent exempla opposita: quia enim homo est omnino inferior animali, & hoc viuenti, idcirco de iis indirecte prædicantur.

35 Instabis ex aduerso; prædicationem eam, vniuersale est genus, esse directam, quamuis eius prædicatum non sit omnino superius, sed simul etiam inferius suo subiecto: quidni ergo sit ex æquo indirecta tametsi eius prædicatum non sit pure inferius, nec omnem superioritatem refugiat? Respondeo, rationem discriminis in promptu esse: negatio enim aliqua constituit propositionem indirectam prout talem, sicut ipsa eius nomenclatio indicat: quare non modo exposcit, vt prædicatum suum inferius sit subiecto, quæ positio quædam, & affirmatio est, sed etiam vt non sit illo superius, quod negare quoddam est: at verò propositionem directam quatenus talem nulla negatione constitui oportet: vnde hoc solo contenta, quod eius prædicatum sit superius, illud non esse inferius, neutiquam postulat. Respondeo secundò, tum ad argumentum principale, tum etiam ad instantiam, propter eam mihi satis probabile videri, prædicationem illam, qua de agimus, nec esse directam, nec etiam indirectam: hæc enim est cuius prædicatum est omnino, ac duntaxat inferius subiecto, illa verò, cuius prædicatum est similiter superius subiecto: prædictæ autem propositionis prædicatum non est solum inferius, nec solum etiam superius subiecto suo, sed partim illud infra, partim supra. Quapropter ea, nec erit directa, nec indirecta, sed inter ambas media, & quodammodo participet alterutrum.

36 Vndecimum argumentum: Si prædicabile vt sic

vniuocè abstrahi potest à quinque speciebus suis, & munere huius abstractionis effici genus, hæc prædicatio, *prædicabile est genus*, erit contingens, non minus, quam hæc, *animal est genus*: actus enim intellectus alterutrum abstrahens, & genus efficiens, extrinsecus, & accidentaliter denominat substratam sibi naturam: atqui ea prædicatio, *uniuersale est genus*, colligitur ex hac, genus est vniuersale, species est vniuersale, & similiter differentia, proprium, & accidens: quæ quidem omnes sunt necessariae, & essentielles: vnde enim concludi potest, aut solet, vniuersale esse genus, nisi ex eo, quod quinque prædicabilium speciebus ita conueniat, ac de eis possit enuntiar? iam ergo propositio contingens poterit colligi ex vna, vel pluribus necessariis, haud secus, ac si Petrum v. g. existere efficias ex eo, quod sit homo, vel animal rationale, quo tamen quid fingi potest absurdius? Hoc ergo ne sequatur, illud negandum est, vnde sequi videtur, nimirum vniuersale, seu prædicabile in communi esse contingenter genus, more animalis, & aliarum rerum, seu primarum intentionum: vbi verò non sit contingenter genus, nullatenus eiusmodi esse poterit, cum denominatio generis nunquam non sit extrinseca, & ex accidenti. Sed ne hoc argumentum vrget; aliud enim est, prædicabile vt sic posse esse genus, abstrahive: aliud, actu esse genus, & de facto, vt aiunt, abstrahi: propositio illud prius affirmans est necessaria, eaque sola est, quæ colligitur ex his necessariis, genus est prædicabile, seu vniuersale, species item, differentia etiam, proprium, & accidens: quæ vero posterius affirmat est contingens: cæterum non colligitur per se loquendo, nec inuitabiliter infertur ex supradictis propositionibus necessariis, aut earum veritate: quamuis enim singula & omnia prædicabilia rationem vniuersalis, ac prædicabilis essentialiter participant, atque in ea conueniant, haud tamen propterea opus est, vt eiusmodi ratio actu ab illis abstrahatur, vel genus denominetur. Ita quoque animal necessariò potest abstrahi, & esse genus: cæterum contingenter abstrahitur, & est actu genus: atque non hoc posterius, sed istud prius ex eo quod homo sit necessariò animal, & bellua similiter, indissociabili consequentia colligitur. Quæ cum ita sint, nulla causa subesse potest, quominus prædicabile vt sic, instar animalis, & aliarum rerum, denominationem generis quantumlibet contingenter obtineat.

CAPVT V.

Alia quoque argumenta aduersus priorem sententiam soluuntur.

37 D Vodecimum argumentum, quod multos transuersos egit, est huiusmodi. Si prædicabile vt sic vniuocè abstrahi posset à quinque prædicabilium speciebus, esset respectu earum genus, vt sæpe sæpius dictum, haud aliter, ac animal, ab homine & bellua differentibus specie abstractum, comparisonem eorum genus est: at prædicabile vt sic nequit esse eo modo genus: illius igitur vniuoca ratio nequit à quinque prædicabilibus abstrahi: maior videtur indubitata: minoris probatio; si prædicabile in comuni esset genus respectu omnium in particulari, adeoque ipsius generis primi prædicabilis, contemplatione huius foret superius, & inferius, quod omnino

omnino repugnat : superius , quia genus ad illud , & reliqua : inferius etiam eo , quia genus primum prædicabile continet sub se omnia genera : ergo & genus illud , quod à quinque prædicabilibus dicitur abstrahi : si quidem non poterit cum reliquis generibus non genericè conuenire . Confirmatur argumentum : quoniam genus primum prædicabile cætera quatuor sub se contineret ac simul non contineret . Prius claret : nam oportet illud sub se continere prædicabile ut sic , quod omnia in particulari sub se tenet . Posterius autem non minus est in propatulo : quoniam partes subiectiue vnius generis quales sunt genus , species , differentia , &c. ita instituantur , ut neutra alteram infra se contineat ; aliàs homo belluam continere posset , aut è diuerso . Confirmatur secundo quia prædicabile foret superius se ipso : si quidem genus primum prædicabile se superius superaret .

38 Huic argumento respondere solent aduersarij ; prædicabile ut sic bifariam sumi posse ; primo pro materiali , & penes id , quod ei essentiale est , seu pro ut personaliter supponit , (hac enim varietate terminorum , eundem enim alij alijque expriment) & ita esse rationem vniuersalem , ac superiorem contemplatione generis , cum ita acceptum non solum genus , verum etiam reliqua prædicabilia completatur : Secundo pro formali , siue penes id , quod ei accidentarium est , aut pro ut simpliciter supponit ; & ita esse rationem inferiorem contemplatione generis , cum ita sumptum quandam actum particularem genereitate ut sic inferiorem , eiusque speciem inuoluat , scilicet eum , per quem à quinque prædicabilibus abstrahitur : quare in prædicabili ut sic , quando efficitur genus , aliud , & aliud esse superius , & inferius genere primo prædicabili : atque hinc etiam , aiunt , patere ad duas confirmationes ; quarum videlicet tota vis ex mutua illa relatione superioris , & inferioris vni , eidemque prædicabili ut sic conueniente dependet . Quam solutionem aliqui sic præterea declarant : dictio , si supponat materialiter , ac pro se est inferior nomine : hæc enim vox , dictio , est nomen , & præter eam alia plures : rursus , si supponat formaliter , ac pro suo significato , est superior nomine ; si quidem quod per eam significatur non tantum nomen , sed etiam alias orationis partes , quæ non minus , quam illud sunt dictiones , reuera comprehendit : nil mirum ergo quod genus istud prædicabilis ab eius quinque speciebus abstractum , sit primo prædicabili superius , & inferius , dummodò aliter , aliterque sumatur , eiusque suppositio varietur . Quod etiam iidem ita secundo declarant : quoniam Papa , pro ut talis , est superior suo confessario , & quatenus particulare membrum ecclesiæ Christi , vnusque fidelium , eo est inferior , idque esto iurisdicatio confessarij à Pontifice dimanet : quemadmodum ergo Papa aliter , aliterque sumptus , eiusque suppositione variata , est simul inferior , superiorque eidem homini , ita similiter in præfenti , &c.

39 Quominus tamen hanc solutionem satisfacere putem sequenti fundamento adducor . Prædicabile ut sic accidentaliter sumptum , & pro ut actui abstrahenti subiacer , est vniuersale , & genus ad quinque prædicabilia , & consequenter ad ipsum genus , ac esse vniuersale , & genus esse esse quiddam superius : ita ergo sumptum prædicabile ut sic est superius genere primo prædicabili : quare , cum eo simul sit inferius , quatenus accidentaliter sumitur , ut ipsi aduersarij est in confesso , reliquum est . ut fateantur idem eodem modo usurpatum , eiusque

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

suppositione inuariata , esse simul superius , & inferius respectu eiusdem , nimirum prædicabile ut sic comparatione generis , à quo eius quinque pariter diuisio incipit . Maior nostræ argumentationis , quæ sola eget probamento , hunc in modum probatur : prædicabile ut accidentaliter sumptum , & pro ut actui confuso subternitur , à quinque prædicabilibus abstrahitur , nihil autem quatenus ab inferioribus quibusuis abstrahitur , non est vniuersale ; ita ergo sumptum est vniuersale , & genus . Rursus secundo probatur eadem maior ; prædicabile ut sic pro solo materiali sumptum non est actu genus , aut vniuersale logicum , quo de agimus , cum eorsum ab actu intellectus nullum , saltem eiusmodi , vniuersale possit inueniri : ergo non nisi accidentaliter sumptum , ac simul pro materiali , & formali , obiectiue , & actu , et vniuersale , genusque respectu primi , & cæterorum prædicabilium . Hinc etiam constat exempla huius solutionis parum accommodata esse : siquidem , dictio , non est simul superior , & inferior nomine , primavè orationis parte , nisi eius suppositione variata , eaque lege , ut modò pro se , modò pro suo significato supponat . Hoc autem etsi satis sit , ut vulgari , & crassa minerua dicatur diuersas illas relationes , primaque facie oppositas æquo subire , si tamen stricte loquamur , ac res ad viuum resecetur , non idem respectu eiusdem est superius simul , & inferius . sed aliud , aliudque : nam hæc vox ex instituto significans , videlicet , dictio , est inferior nomine ; at non ipsa , sed quod per eam significatur , est illo superius . Quod etiam visitur in bino illo respectu , quo Papa dici consuevit superior simul , & inferior suo confessario . Cæterum ij , quibus cum lis est , negare nequeunt , quin prædicabile in communi accidentaliter , eodemque modo sumptum , & immutata eius suppositione , simul sit superius , & inferius genere primo prædicabili : nec ergo sibi coherent , nec prædictis exemplis , nisi frustra vtuntur .

40 Secundo alij respondent aliter , ac præmittunt primo , quinque vniuersalia pro materiali non differere , sed pro solo formali . Quod enim est accidens respectu sui subiecti per vnum actum intellectus , idem est species , ac prædicatum essentiale comparatione huius , & illius accidentis , per alium actum . Quod ipsum in proprio , & differentia seruata proportionem cernitur . Rursus ; genus pro materiali collectionem omnium specierum ab omni natura generica realiter indistinctam importat ; eandemque etiam species ipsa in communi , pro suo materiali , complectitur . Quare sicut album specificatiue sumptum non distinguitur à dulci , sed propriè dulce esse dicitur , eo quod vtrumque pro materiali non differant , ita eadem ratione genus à specie non distinguitur , nec hæc à reliquis vniuersalibus . Deinde , secundo præmittunt , cognitum ut cognitum esse solam cognitionem , & vniuersum concretum intentionale reduplicatiue sumptum esse solam formam , quia ut simpliciter , & absolute illud concretum dari censeatur , solius formæ existentia requiritur ; quo pacto homo non existens , verè tamen cognitus esse dicitur : in quo concretum physicum , & intrinsecum , ab extrinsecò , & intentionali valde differt ; siquidem homo non existens vere dici nequit albus , ut compertum est .

41 Quibus positis , asserunt prædicabile specificatiue sumptum à quinque prædicabilibus specificatiue sumptis abstrahi , aut vniuersale fieri non posse , eo quod quinque prædicabilia ita sumpta non distinguantur , nec pro materiali multiplicia sint . Nam mul-

B b 2

tiplicitas

uplicitas & distinctio inferiorum omnis abstractionis vniuersalis fundamentum est, atque radix, propter id, quod vniuersale sit suapte natura vnum in multis. Caterum prædicabile, inquit, seu vniuersale reduplicatiue sumptum aut quod perinde est iuxta præmissa, vniuersalitas in communi est ratio vniuersalis, & superior comparatione generis, & ceterorum vniuersalium reduplicatiue, siue, quod in idem redit, contemplatione genereitatis, specieitatis, &c. At eadem vniuersalitas in communi non est ratio inferior genereitate, eo quod non sit genereitas, cum solus actus eam abstrahens genereitas sit, sed genere, propterea quod genus sit ad quinque vniuersalitates. Quare vniuersale, seu prædicabile reduplicatiue sumptum est superius genere, & specie, &c. etiam reduplicatiue sumptis: at est inferiori genere duntaxat specificatiue sumpto: in quo ne vestigium repugnantiae reperiri videtur.

42 Verum enim hæc solutio multis nominibus mihi displicet. Primò namque falso supponit, quinque vniuersalia pro materiali, seu specificatiue non differre, & speciem, ac genus pro materiali collectionem specierum ex æquo includere, cum iuxta verior sententiam præcisiones obiectiuas tuentem, nec species collectionem specierum, sed rationem superiorem ab eis virtualiter distinctam, nec genus itidem collectionem generum, sed rationem ab eis virtualiter etiam præcisam pro materiali inuoluant. Sic lib. præced. vidimus hominem non esse Petrum, & Paulum, ac ceteros immediatè, & confuse cognitos, nec animal hominem, & belluam propter aliquam cum confusione cognoscuntur. Præterea esto pro materiali quinque prædicabilia non differant, sed potius specificatiue sumpta possint mutuo, & formaliter prædicari, tamen sufficientem multipliciter ad vniuersale sortiuntur. Nam genus, & species v.g. pro formali, & inadæquate realiter distinguuntur: at hæc distinctio realis inadæquate vtriusque illius concreti satis est, vt ab eis verum vniuersale abstrahi possit, cum distinctio solius rationis aliquorum, quæ longe minor est, nihilominus ad vniuersale quoddam ab eis abstrahendum sufficiat, vt initio libri superioris latè ostendimus.

43 Deinde falso supponunt, cognitum vt cognitum, seu vniuersale, vt vniuersale, esse solam formam extrinsecam illius aggregati, quoniam nihil intellectus noster concipit, supra quod nequeat reduplicare; sicut nihil concipit, de quo non possit aliquid prædicare: ergò supra subiectum, & formam cognitum intellectus reduplicare valet; siquidem hanc, & illud ex æquo concipit: immerito ergò dicitur cognitum supra solam cognitionem reduplicare. Secundo, quia quod ad denominationem cogniti, siue ad hoc vt quis cognitus dicatur, existentia obiecti minimè sit requisita, nihil aduersariorum de reduplicacione sententiam iuuat. Tum, quia in primis id verum non est in omni cognitione, cum plures cognitiones, aut intuitiuæ, aut abstractiuæ sed essentialiter veræ, cum existentia sui obiecti necessario connectantur, nec nisi vt existens possint illud cognitum denominare. Tum quia, vt quis dicatur esse homo, non requiritur existentia naturæ humanæ, eò quod illa propositio sit sempiternæ veritatis, vnde quod Petrus v.g. sit homo, est verum ab æterno, & iam inde à Deo affirmatur: & tamen homo vt homo supra naturam humanam aut id, quod est essentialiter homo reduplicat: similiter ergò quamuis aliquid, vt sit cognitum, existentiam non postulet: nihilominus cognitum, vt cognitum supra naturam cognitam, ipsumque obiectum re-

44 duplicabit. Tum etiam, quia aliàs obiectum displicentia diuinæ propter obiectum, supra malitiam peccati non reduplicabit, sed supra solam displicentiam, cum hæc sola requiratur existens, vt ab æterno peccatum odio habitum denominetur: vnde sequetur vltèrius, hanc propositionem esse veram, *obiectum odij diuini propter eius obiectum, non est odibile, sed potius amabile*: siquidem diuina displicentia ei subiecta reduplicacioni summum meretur amorem: at ea propositio à nemine tutò concedi posse videtur.

Denique quartò, ea solutio mihi displicet: quoniam iuxta eam prædicabile vt sic, specificatiue sumptum, nec esset vniuersale; nec singulare: non quidem vniuersale, vt eius authores docent: non singulare: quia vel est vnum singulare; & hoc sustineri nequit: cum non de solo prædicetur vno: vel propterea est plura singulæ; & ne hoc maiorem habet speciem probabilitatis, quia in eo conceptu prædicabilis vt sic nulla prædicabilium exprimitur multitudo: haud enim hæc exprimi potest, ex parte materialis quo constat ille conceptus, eius siquidem materiale immultiplex reuera, & indiuisum supponitur; haud etiam ex parte formæ, siue actus, cui subest, vt ipsi aduersarij in confesso habent. Proinde, aut prædicabile vt sic specificatiue sumptum vniuersale esse, aut inter vniuersale, & singulare medium, iis concedendum est; quorum tamen neutrum concedunt.

45 Reiectis ergò aliorum solutionibus, ipse ni fallor clarius, & expeditius difficultati satisfacio, concessa sequela. Consequens autem absurdum non esse in hanc modum suadeo: contra vtriusque sententia patronos, Non magis repugnat, idem esse per intellectum superius, & inferius respectu alterius, estò à parte rei id vsuuenire nequeat, quam conceptum realiter eundem ratione distinguì, aut conceptus realiter distinctos ratione confundi, & identificari: at vtrumque intellectus facere potest, vt, Nominalibus exceptis, ceteri omnes scholastici fatentur; ergo & illud prius. Quare ingenue fateor, prædicabile vt sic, seu genus ad quinque prædicabilia absolutè, & simpliciter esse superius, & inferius genere primo prædicabili, (idque estò vtriusque suppositio maneat inuariata, & neutrum non eodem modo sumatur) quia nimirum mutua hæc superioritas, & inferioritas intentionalis est, & ab intellectu proficiscitur.

46 Quod si aliquis ex aduerso ita instet. Ratio superior re ipsa latius inferiori patet, & hæc illa minus patet: sed duo ita comparari nequeunt, vt alteri altero latius, & minus latè reuera pateat; quæ admodum in animali, & homine cuiusvis conspicuum erit: idè igitur ratione nostra respectu alterius superius, & inferius esse nequit. Ita inquam, si quis instet, & sic debet occurrì: ratio superior alia non debet ea latius patere penes omne id, quo superior constituitur, nec etiam ratio inferior alia minus, quam ea patere vndequeque: nam species humana à me modò abstracta à suis indiuiduis est ratio superior, & specifica respectu Petri, cum tamen specieitas eius constitutiua Petro latius non pateat, eò quod indiuidua quædam & accidentaliter cognitio sit, sicut Petrus indiuidua substantia. Deinde Petrus ita est ratio inferior respectu speciei humanæ quæ talis, vt ea minus latè vndequeque non pateat, propter eandem scilicet rationem, vt intuenti constabit. Quare genus ad quinque prædicabilia est ratio superior respectu illorum, simpliciter quidem, & complexè sumptum, vt supra satis efficaciter probauimus, ad quod satis, superque

que est, vt eiusmodi genus latius pateat primo prædicabili, incomplexè tantum; & pro solo materiali sumptum: rursus est inferius primo prædicabili, etiam simpliciter, & complexè sumptum, ad quod sufficit, vt incomplexè, & pro solo formali sumptum eo restrictius sit, minusque latè pateat.

47

Cæterum aduersus prædictam solutionem, postea quam à nobis tradita est, aliqui ita obiecerunt, posse quidem aliquid esse superius, & inferius seipso per diuersos actus: licet à parte rei id repugnet: animal enim est superius homine, per actum, quo hic in confuso cum aliis cognoscitur, at vero est inferius prout est homo, seu prout tantum distinctè cognoscitur: Cæterum per eundem actum, eum v. g. quo animal præcise vt animal concepit, non vero vt homo, nequit esse seipso simul inferius: similiter ergo per eundem actum, quo prædicabile abstrahitur à quinque suis speciebus, nequit esse superius, & genus, ac simul inferius genere primo prædicabili.

Respondeo tamen ex facili, sicut animal est superius homine per actum abstractionis animalis, & est inferius prout homo, nõ præcise per actum priorem, sed simul per actum, quo cognoscitur homo quatenus talis: ita similiter prædicabile in communi est superius genere per actum, quo abstrahitur ab eo, & cæteris prædicabilibus, & simul est inferius genere primo prædicabili, non tantum per priorem actum, sed insuper per eum quo prædicabile vt sic, siue genus quatenus tale cognoscitur, & ab omni genere abstrahitur. Quocirca tantum abest, vt obiectio nobis officiat, vt potius proficiat, nostramque solutionem exemplo aliqua ex parte appposito declarat.

48

At iterum dices: per eum actum, quo prædicabile vt sic abstrahitur, est genus: ergo est inferius genere primo prædicabili, quo nullum genus non est inferius, ac proinde prædicabile vt sic simul est superius, & inferius respectu illius per vnum, eundemque actum; eum videlicet, quo abstrahitur, & genus constituitur. Respondeo, prædicabile vt sic esse genus aliquod, per actum, quo abstrahitur; cæterum nondum esse inferius, imo nè superius genere primo prædicabili, quia hoc nondum intelligitur fabricatum ab intellectu, aliusque actus distinctus ad eius fabricam, & abstractionem requiritur: proinde duo actus inter se distincti omnino sunt necessarii, vt prædicabile in communi duos illos respectus superioris, & inferioris comparatione primi prædicabilis, & hoc vicissim comparatione illius eisdem subeat. Nisi velis, prædicabile vt sic, per vnicum illum actum, quo abstrahitur, esse non solum superius, sed etiam inferius genere primo prædicabili: haud formaliter, & proximè, sed remote ac radicaliter, quia nimirum potest abstrahi per alium actum genus vt sic ab omni genere, adeoque à primo prædicabili vt sic, ac per consequens poni aliud correlatiuum, quod requiritur, vt inter prædicabile vt sic, & cæterorum primum, genusve vt sic, & tale genus, nimirum vniuersalis, mutua illa relatio superioris, & inferioris resultet. Hoc autem tamen concedatur, nihil habet absurdum: enim idem per eundem etiam actum non possit esse simul superius, & inferius alio, radicaliter, ac remote, id est capax, vt adueniente alio actu, vi illius, & prioris sit formaliter, & proximè superius, & inferius? Quocirca in summa actus abstrahens prædicabile, vt sic ab omnibus eius speciebus facit formaliter illud esse superius primo prædicabili, & cæteris, necnon etiam formaliter inferius, si non

cæteris, at saltem primo: altera enim relatio est inseparabilis ab altera veluti paternitas, & filiatio; facit inquam partialiter, quod & non aliud num. præ. insinuauimus, & ita, vt vtramque relationem illam formaliter sumptam similiter ex parte constituat actus, quo genus primum prædicabile à prædicabili vt sic, quod genus aliquod est, & cæteris generibus abstrahitur: quo pacto, plures alie relationes veluti similis, & dissimilis, æqualis, & inæqualis, patris, & filij, Domini, & serui, ex fundamento, & termino intrinsecè coalescunt. Cæterum vi solius actus abstrahentis, atque cognoscentis prædicabile in communi, hoc constituitur superius simul, & inferius radicaliter, & remote, seu conditionatè, hoc est, si abstrahatur ab omnibus generibus, actuque detur genus primum prædicabile, quod duplicem illum respectum possit terminare, & etiam vtroque ad prædicabile vt sic referri: quem in modum omne fundamentum cuiusvis alterius relationis per semetipsum præcise, & circumscripta termini existentia, remote tamen & conditionatè ad eum refertur.

49

Haftenus prima solutio duodecimi illius argumenti, in qua nihil tam mihi displicet, quam, quod ab autoritate peti consuevit: tamen enim authores initio 2. capitis laudari, præsertim verò Capreolus, & Holcot doceant, prædicabile vt sic, quia genus est, simul esse superius, & inferius genere primo prædicabili: qui tamen eos attente legerit, comperiet de genere illo à quinque prædicabilibus abstracto, non eodem modo sumpto, sed diuerso, & eius suppositione variata, non eadem manente, loqui, atque ita ei respectus illos tribuere: quod quidem, re ad vinum resecata, non tam est idem esse superius, & inferius alio, quam aliud, & aliud. Nos autem genus illud, primo prædicabili superius simul, & inferius, eodem modo sumimus, eiusque suppositionem neutiquam variamus. Porro autem aliter censemus solui posse prædictum argumentum; nimirum si, vt valde familiare est eis, qui hanc quæstionem instituunt, ab ea non excipiantur vniuersalia rationis, & fictitia: arbitramur enim hæc non esse propriè genera, aut species ob dicenda cap. octauo. Quibus positis respondendum est, prædicabile vt sic esse rationem communem vniocam ad omnia, & singula prædicabilia in particulari, siue realia, siue solius rationis. Cæterum non esse genus respectu illorum, alias prædicabilia fictitia, & rationis essent eius species, & consequenter aliquam essentiam haberent; cuius tamen contrarium modo supponimus, & infra ostendemus. Quando igitur prædicabile vt sic non est genus aliquod, sed vniuersale aliud à primo prædicabili, & cæteris, neutiquam sequitur illud esse inferius eiusmodi primo prædicabili, seu genere in communi, sicut est eo superius, aut duobus relationibus oppositis ex æquo subesse.

50

Decimum tertium aliorum argumentum est: Actus ille, abstrahens genus quoddam prædicabile à primo prædicabili, & cæteris, attingit confusè, & per modum vnius omnia prorsus prædicabilia, sicut cognitio, abstrahens genus animalis nulum animal non cognoscit: at illud ipsum genus eo actu constitutum est prædicabile quoddam: talis ergo actus semet ipsum debet attingere, haud aliter, atque homo, rationem communem hominis abstrahens, non tantum cæteros in confuso, sed semetipsum etiam percipit. Consequens autem hoc est absurdum, videlicet, quod actus abstrahens prædicabile in communi, & genus illud constituens,

B b 3 possit

possit se ipsum percipere. Primò, quoniam reflexio cognitionis creatæ in se ipsam, eiusque sibi ipsi propositio repugnat, vel certè, cum obiectum cognitionis nostræ necessaria sit illius causa, idem sui met causâ euadet. Secundò, quia actus ille habet respectum essentialem ad plura prædicabilia: proinde se ipsum, adeoque respectum illum cognoscens, necessariò plura ut plura in eo cognosceret, non secus, ac Deus in acta, quo nos facimus aliquod vniuersale, plura ut plura penetrat, perspicitque: erit igitur abstractius prædicabilis ut sic ab omnibus in particulari, ut supponitur, & simul non abstractius: cognitio enim, plurium ut plurium representatiua, nequit esse ad abstrahendum, seu plura instar vnius cognoscendum idonea: repugnat ergò ex hoc etiam titulo, ut actus ille semetipsum attingat.

51 Equis tamen non videat, hoc argumentum manifestè initari, eo in actu, quo abstrahitur vna ratio cognitionis ab omnibus in particulari: aut enim admitendum est, hunc in se reflectere debere, sed non posse, quod absurdum est, & non magis nobis, quam aduersariis difficultatem facessit: aut si non debet, quantumvis sit quædam particularis cognitio, nullius similiter reflexionis in præsentis opus esse, vt cognitio, attingens prædicabile in communi, simul cum suo obiecto quoddam genus, & prædicabile constituat. Rursus secundò, ut absolute respondeam, si quod multi putant, impossibilis est reflexio cognitionis creatæ in semetipsum, quid facilius dictu, defensuque, quam actum attingentem prædicabile ut sic, illudque genus constituentem, ferri ad omnia prædicabilia, & consequenter ad quævis genera, excepto solum eo prædicabili, ac genere, quod ille met actus constituit: sic vna ex parte vitatur exosa illa non paucis reflexio, ex alia verò prædicabile ut sic manet genus, non tantum ad quinque prædicabilia in communi sumpta, sed etiam ad quodlibet eorum, vno solo excepto: hoc autem moraliter loquendo, perinde se habet, ac si nulla fiat exceptio.

52 Denique tertio respondeo, actum illum posse in se reflectere. Quod autem dicitur, omnem reflexionem cognitionis creatæ in semetipsum plane impossibilem esse, & alioqui eam sui ipsius causam fore, hoc quidem in met. lib. 7. tract. 11. impugnetur. Quod etiam, actum, de quo sermo in præsentiarum cognosciturum plura ut plura, est falsum: quanquam enim habeat respectum essentialem ad plura, non tamen ut plura, sed ut in aliquo gradu superiori omnino conueniunt: vnde seipsum talemque respectum attingens, haud opus est, ut in eo plura ut plura percipiat: Dei verò longè dispar est ratio, quippe qui non tantum respectum cognitionis nostræ vniuersalis ad vnum, sed etiam vnius cum multiplicitate reali connexionem, adeoque multa ipsa, quatenus talia, penetrat: nihil enim cognitionem eius infinitam, & comprehensiuam latere potest, cum tamen plura actum illum, quo de agimus, quæ est eius imperfectio, prætereant.

CAPVT VI.

Cæterorum argumentorum aduersus sententiam priori loco positam, solutio & totius questionis resolutio.

53

HActenus argumenta communia aduersus priorem sententiam: alia breuiter subijciam, nisi

fallor, non minùs difficilia: quorum primum, sed respectu eorum, quæ sunt huc vsque posita decimum quartum sic se habet. Differentia generis, speciei, alteriusque cuiuscunque prædicabilis esset, & non esset prædicabile quoddam, si posset vti que abstracti ratio communis vniuersa prædicabilis à quinque vulgaris eius speciebus: talis ergo abstractio admittenda non est, ut potè ex qua manifesta terminorum contradictio nequit non sequi. Eset ergò eiusmodi differentia prædicabile, idque formaliter, & quidditatiuè: tum, quia esset differentia; ergo tertium prædicabile: tum etiam, quia esset vniuersale, differentia enim vniuersalis debet esse quid vniuersale, sicut patet in homine, & rationali: ergò prædicabile, siquidem omne vniuersale logicum est prædicabile; differentia autem illa non aliud esset vniuersale, quam logicum, sicuti cæteræ differentiar. Iam ea non posset esse quidditatiuè, ac formaliter prædicabile: sicut enim abstrahi nequit animal ab homine, & equo v.g. quin horum differentiar videlicet rationalitas, & inanimabilitas sint ab animali formaliter distinctæ, saltem quoad vltimos earum conceptus, aliàs animal in eis formaliter maneret, & ab eis non minus formaliter abstraheretur, item animal foret ab eis ratione distinctum, contra vero illæ neutiquam essent ab illo simili ratione distinctæ, cum tamen distinctio rationis, sicut & realis, relatio reciproca esse videatur: ita similiter fieri nequit, ut prædicabile in communi abstrahatur à genere, specie, & cæteris, quin horum differentiar sint ab eo formaliter, & quidditatiuè distinctæ: admissa ergò tali abstractione, nulla eorum esset essentialiter, ac ratione nostra prædicabile, quæ erat secunda contradictionis pars probanda.

Hoc argumentum me, ut ingenue fatear, dubium aliquando traxit. Cæterum ei bifarium satisfieri posse modò arbitror, ac primum dico differentiam generis v.g. aut speciei esse prædicabile, & aliquid aliud, & hoc aliud esse similiter prædicabile, & aliquid aliud, & sic in infinitum: admittendum ergo est hoc sequi, talem differentiam esse formaliter, & non esse prædicabile: non esse quidem, propter abstractionem prædicabilis ab ea, & coniunctam cum abstractione distinctionem reciprocam: esse vero, ob cæteras rationes argumento obiectas: non esse, quia semper est aliud à prædicabili; esse verò, quia quantumvis sit aliud à prædicabili, hoc aliud nunquam non est formaliter prædicabile, nunquam illud omnino, nunquam nisi inadæquatè excludit. At enim esse hoc pacto, & simul non esse quidditatiuè prædicabile: non sunt termini contradictorii, & quamuis affirmant, & negent idem, non tamen de eodem, videlicet, quia semper cadunt supra diuersas formalitates differentiar, neutiquam vero supra eandem: quæ autem est infinitas formalitatum, quibus ea constat, metus non est, ut aliquando deueniatur ad aliquam extremam, & ulterius irresolubilem, quam proinde necesse sit esse prædicabile, & simul, ac indiuisibiliter illud non esse. Quod autem attinet ad differentias animalis, quanquam eri t fortasse qui de eis eodem modo philosophetur, nihil tamen est; quod hoc cogat, nihil, quod conuincat illas ab animali penes aliud, & aliud semper, & infinitum distingui, & non distingui, transcendendi, & non transcendendi: quare non eas æmulabuntur differentiar prædicabilis, sed potius entis differentias, quas per eiusmodi infinitatem in met. lib. 5. cum de transcendentia sermo nobis erit, explicabimus.

Secundò responderi posse censeo, alteram dumtaxat

54

55

taxat contradictionis partem sequi: videlicet differentias prædicabilis, quibus contrahitur ad genus, speciem, & cetera, penes ultimos, & innominatos earum conceptus, ab illo prorsus quidditatiuè distinguui, nullamque earum ita samptam esse formaliter prædicabile: haud aliter, ac iuxta dicenda, ac probabiliter defendenda loco nuper memorato, ens in differentiis suis suis occultis, & innominatis neutiquam quidditatiuè includitur, sed potius tam illud ab eis, quam è contrario eæ ab illo adæquatè distinguuntur: quod ipsum à fortiori dicendum est de animali, comparato, ac relato ad differentias suas, saltem latentes. Ad primam probationem contrariam dici debet solas differentias snominatas, quales sunt, quæ exprimuntur in definitionibus quinque prædicabilium, & quæuis aliæ similes; attingere ad tertium prædicabile, & ex hoc titulo rationem prædicabilis formaliter sortiri, secus vero differentias innominatas, & occultas prædicabilis, alteriusve cuiusvis rei, quas cum ad ens, quod alioqui cuncta comprehendit, tamen formaliter spectare, ab eovè transcendendi nolimus, non est, quod à tertio prædicabili, cuius est latitudo minor eas vereamur excludere. Ad secundam probationem dici debet, satis esse, quod eiusmodi differentie formaliter loquendo sint vniuersales negatiuè, id est non singulares, ad hoc, ut quinque vniuersalia afficiant, faciantque differre: exemplum autem rationalitatis ad rem non esse, utpotè, quæ quia est differentia alicuius vniuersalis, nimirum hominis, tantum petit esse quid non singulare, quia vero differentia nominata, & expressa, idcirco postulat esse quid formaliter vniuersale, ac prædicabile: quæ ergo eius cum differentiis innominatis proportio.

Decimumquintum argumentum. Si posset abstrahi ratio illa communis vniuersalis prædicabilis, dari quoque possent eius infinite abstractiones: nam prædicabile in communi, & differentia generis v.g. formaliter distinguuntur, & differentia est prædicabile, necnon etiam prædicabile in communi, quod per eam contrahitur, est etiam prædicabile: conueniunt ergo in ratione prædicabilis: alia ergo ratio prædicabilis ab utroque poterit abstrahi, & ab hoc alia, & sic in infinitum: consequens autem est absurdum: ergo & illud ex quo sequitur. Respondeo, differentiam illam generis esse formaliter prædicabile, esto ab eo distinguatur inadæquate, tali quidem inadæquatione, quæ sit omnis finis expers, & in qua non sit deuenire ad ultimam aliquam, & indiuisibilem formalitatem, quæ non sit quidditatiuè loquendo prædicabile, uti paulo supra manet expositum: quare sicut ab animali, & homine non abstrahitur alia ratio animalis, quoniam homo est formaliter animal, tamen ab eo inadæquate distinctus, ita similiter, &c. Deinde secundo: quid si differentia aliqua generis, aut alterius cuiusvis prædicabilis, innominata utique, non sit vllatenus prædicabile quidditatiuè loquendo, sed illud adæquatè excludat.

Decimumsextum argumentum. Si possibilis esset abstractio illa prædicabilis, tertiæ eius species, nimirum differentia constaret genere illo, quod abstrahitur, & alia differentia eius contractiua: consequens autem est absurdum, quoniam differentia illa differentie esset simul pars actualis, & pars subiectiua differentie, quam constituit; quod repugnat, sicut est repugnans, & impossibile, quod Petrus v.g. sit simul pars actualis, & subiectiua hominis, aut homo animalis. Sed respondeo, sicut genus definitur per tale genus, licet animal non explicetur per

tale animal, nec homo per talem hominem, ita etiam differentiam, quæ est tertium prædicabile definiri posse per talem differentiam, & hanc eius partem subiectiuam, & actualem simul esse posse, nec quoad hoc à primis intentionibus ad secundas, aut è conuerso argumentum valere. Declaratur solutio exemplo cognitionis in communi, quæ per talem cognitionem optime cognosci potest, imo non nisi per eam.

Decimum septimum, & postremum argumentum: sicut se habet vniuersale, ad vniuersalia, ita indiuiduum, ad indiuidua, & è diuerso: sed à pluribus indiuiduis abstrahi nequit vna ratio communis indiuidui: ergo nec à pluribus vniuersalibus, genere nimirum, specie, &c. poterit abstrahi vna ratio communis vniuersalis, seu prædicabilis. Quod tamen maior huius argumenti sit falsa, vniuersalisque, & indiuidui sit longe diuersa ratio infra tract. 4. ex professo ostendam. Interim breuiter dico, rationem communem indiuidui idcirco repugnare, quia esset, & non esset indiuiduum, ut cuius sponte sua subluceat: at vniuersale in communi à quinque speciebus suis abstractum, fore simul, & non fore vniuersale, neutiquam sequitur.

Fateor hæc adductis argumentis priorem sententiam non parum virgeri, ac posteriorem satis verisimilem effici: ceterum prior absolute mihi magis arridet: quippe quæ re vera probabilior est, & rationum solo numero, non pondere inferior. Quocirca pro ea primò sic argumentor. Nulla potest assignari repugnantia, nulla terminorum contradictio, in ratione communis vniuersalis prædicabilis à genere, specie, & ceteris abstracta: quemadmodum ergo intellectus facere potest alias abstractions, hominis nimirum, animalis, similibusque rerum, ita & hanc prædicabilis in communi. Antecedens luculenter constat ex dilutione argumentorum, quæ sunt contra priorem sententiam huc vsque posita: consequentia autem adeo est per se manifesta, ut nemo, quantum arbitror, eam sit inficiaturus.

Argumentor secundo. Genus v.g. & species conueniunt, & assimilia sunt, in eo, quod alterutrum sit absolute, & simpliciter prædicabile, seu vniuersale, & differunt in ratione talis prædicabilis: potest igitur, & debet ab utroque ratio communis vniuersalis prædicabilis, aut vniuersalis abstrahi: quæ, cum prædicabilia specie diuersa contineat, quidni sit genus? Sic ratio communis vniuersalis, & generica animalis abstrahi consuevit, ab homine, & equo v.g. quoniam ambo sunt propriè, & simpliciter animalia, & hunc conceptum ex æquo participant, in eoque conueniunt; alia vero ex parte in eo differunt, illiusque duas peculiares species constituunt

C A P V T VII.

An abstrahi possit ratio communis vniuersalis prædicabilis, seu vniuersalis, à reali & solius rationis, aut fictitio.

Hæc questio examinari potest in triplici sensu quorum primus est, an materiale vtriusque vniuersalis, hominis, v.g. aut animalis, alteriusve entis realis ab inferioribus suis abstracti, ex vna parte; ex alia vero chimæ, hircocerui, alteriusve figmenti, aut entis rationis in communi, an inquam materiale vtriusque ita conueniat, ut ab vno, & altero possit abstrahi vna quædam ratio intrinseca, &

B b 4 essentialis

essentialis entis, aut obiecti, vniuoca quidem, aut saltem analogia: & hic sensus agitatibitur à nobis in metaph. lib. 5. tract. 2. cap. 6. & 7. Secundus sensus questionis est, an vtrumque vniuersale, complexè, & pro materiali simul, ac formali vsurpatum, ita conueniat, & vna ratio vniuoca pradicabilis, seu vniuersalis ab vtroque abstrahi valeat. Tertius est, an à formali vtriusque ea possit abstractio fieri. Atq; hi duo sensus posteriores presentis sunt instituti. Quod ergo ad secundum attinet sentium Scotus, Mauritius, Hurtadus, & plures alij initio cap. 2. supra laudati partem affirmantem questionis ita intellexeruntur: negantem verò, Albertus, Amonius, Boëtius, & alij mox ab initio illius secundi capitis relati. Prioribus autem subscribo, tamen si eorum fundamenta mihi magnopere non probentur: nimirum, quæ solum in tertio sentu procedunt.

62 Ratio ergò, qua moueor, est huiusmodi. A quibusuis conceptibus verè similibus, saltem per aliquid distinctum, ratio communis vniuoca abstrahi potest; at vniuersale reale & vniuersale fictitium, ac solius rationis, secundum omnes vtriusque partes verè ac propriè similia sunt: ergo ab vtroque complexè, & penes omnes partes sumpto ratio communis vniuoca vniuersalis abstrahi potest. Maior probatur primò, quia similitudo est fundamentum abstractionis, & confusionis, sicut dissimilitudo fundamentum secretionis, & distinctionis conceptuum dissimilium: at intellectus discernere, ac distinguere potest vnum conceptum ab alio, siue similitudo sit essentialis, siue accidentaria, & ab alio profecta: pariter ergo intellectus abstrahere poterit rationem communem vniuocam à conceptibus similibus, & hos, quod iuxta est, inter se confundere, siue ea similitudo sit essentialis, siue accidentaria, & ab alio extrinsecus oriunda. Secundò, quia similitudo etiam extrinseca denominat verè simile, sicut cognitio extrinseca verè cognitum: ergo est sufficiens fundamentum abstractionis. Minor autem principalis syllogismi probatur: quoniam in primis penes formale vtrumque vniuersale simile est, id est penes cognitionem confusam vtriusque constitutam: deinde penes materiale vtrumque etiam extrinsecè simile est, id est penes obiectum vtrinque cognitum: ergo penes omnes vtriusque partes similia sunt ambo. Antecedens quoad primam partem est aduersario-rum, & est paulò inferius probandum: quoad secundam partem suadet: tum quia vtrumque materiale cognoscitur confusè, & vniuersaliter, ergo vtrumque est saltem extrinsecè simile: cur enim hunc parietem esse album, & illum esse album, est non solum albedinem vtramque similem esse, verum etiam vtrumque parietem, iuxta illud Aristotelis 5. metaph. *Similia sunt, quorum qualitas est vna*, & ens rationis esse cognitum, & reale esse cognitum, non sit hoc & illud ens, seu hoc, & illud materiale assimilari extrinsecè, & non solas cognitiones aduentitias pro formali? Tum etiam, quia quod intrinsecè & physicè non est melius alio, extrinsecè, & moraliter per aliquid à se distinctum illo alio melius esse potest, vt cernere est in duobus actibus voluntatis physicè æqualibus, & tamen moraliter, & extrinsecè inæqualibus, eo quod vnus, & non alter à Deo prohibitus sit, & consequenter vnus tam physicè, quam moraliter bonus, alter verò tantum physicè bonus, & moraliter malus; similiter ergo ens reale, & rationis, quorum alterum est materiale vniuersale entitativum, alterum fictitium, tamen si physicè, & intrinsecè disconueniant, per cognitiones, tamen vni-

uersales ad vtrumque terminatas poterunt extrinsecè assimilari, sicut ad abstractionem ab vtroque oportet.

63 Confirmatur primò argumentum, ad homines: vt ab hoc, & illo animali ratio communis animalis abstrahi possit, sufficit, vt vna animalitas alteri genericè similis sit, esto specificè sint dissimiles: ergo, vt ab vniuersali chimærico, & vniuersali reali ratio communis vniuoca vniuersalis abstrahi possit, satis erit, vt materiale vtriusque extrinsecè simile sit, esto intrinsecè, & per se dissimile, seu non simile sit, idque gratis largiamur aduersariis. Confirmatur secundò: ens rationis in communi est verè vniuersale, hoc est confusè cognitum, & à suis inferioribus abstractum: item ens reale est verè vniuersale, ergo ab vtroque quædam vniuoca ratio vniuersalis abstrahi poterit; aliàs ab homine, & equo, quantumuis verè animalibus, ratio communis vniuoca animalis nequibit abstrahi. Confirmatur tertio; vniuersale chimæricum in communi obtinet pro materiali obiectum fictitium, vt sic, & pro formali cognitionem confusam eius abstractiuam à suis inferioribus, si, vt probabilius est, & non paucis aduersariis in confesso, esse obiectum, seu cognoscibile non semper est denominatio extrinseca rei veræ, aut fictæ, sed aliquando intrinseca, & essentialis: rursus vniuersale reale habet pro materiali obiectum verum, & pro formali cognitionem confusam, eius itidem abstractiuam à suis inferioribus: at vtrumque obiectum, chimæricum scilicet, & reale, est propriè, & simpliciter obiectum, seu cognoscibile, & neutrum cum alio non conuenit in ratione obiecti, idque non analogicè, sed vniuocè, non minus, quam homo cum bellua in ratione animalis: deinde vtriusque cognitio abstractiua est verè, & propriè cognitio vi abstrahendi prædita, atque in ratione eiusmodi cognitionis vniuocè conueniunt; vtrumque ergo vniuersale conuenit vniuocè, tam penes formale, quam penes materiale, non solum, si hoc extrinsecè sumatur, & per denominationem à formali, quod tamen satis esse, paulò supra probatum manet, sed etiam si intrinsecè, & essentialiter accipiat: ambo ergò, complexè, & adæquatè sumpta, habent vniuocam conuenientiam in ratione vniuersalis, eodem etiam modo vsurpati, ac proinde hoc ab eis vniuocè poterit abstrahi.

64 Hinc (quod attinet ad tertium questionis sensum) eius decisio est in expeditio: iam enim probatum est, cognitionem confusam, & abstractiuam chimæricam à suis inferioribus, conuenire vniuocè cum cognitione similiter abstractiua entis realis, in conceptu communi cognitionis ea vi abstrahendi prædita, nimirum propter propriam, ac veram eius participationem: atqui talis cognitio est formale vniuersalis siue vniuersalitas, huius ergò ratio communis vniuoca non repugnat, comparatione vtriusque formalis, siue vniuersalitatis realis, ac solius rationis: quandoquidem præfata conuenientia vbiuis est fundamentum, ac radix vniuocæ abstractionis. Quod si vt aliis magis placet, formale vniuersale non est cognitio confusa, & realis, sed potius aliqua relatio fictitia, vt cuiusvis alterius entis rationis, sic etiam eius poterit abstrahi ratio communis vniuoca: quæ enim est vtrinque discriminis ratio.

CAPVT VIII.

Quadam argumenta aduersus doctrinam superiorē propoſita, & ſoluta.

65 **A**duerſus id, quod ſtatuiſmus circa ſecundum quaſtionis ſenſum, nam de primo alibi fuit actum, obijcies in hunc modum. Non poteſt à duobus concretis ratio communis vniuoca abſtrahi, quin ab vtriuſque materiali ratio illa abſtrahatur, ſicut ſimilia eſſe nequeunt abſque materialium ſimilitudine. Cuius ratio eſt eſſentia cuiuſque concreti, quod materiale intrinſecè, & eſſentialiter inuoluit: ſed vniuerſale reale, & rationis, ita comparata ſunt, vt vniuoca ratio materialis ab vtroque nequeat abſtrahi, propter id, quod in materiali non conueniunt; hoc enim eſſet ens reale, & rationis, quod vtriuſque materiale eſt, ſecundum ſe, & penes prædicatā intrinſeca cōuenire: quod planè impoſſibile eſt, quæ enim eſſe poteſt entis cum nō ente intrinſeca conuenientia: nequit igitur ab vtroque vniuerſali ratio communis vniuoca concreti intentionalis, ſeu vniuerſalis abſtrahi.

66 Deinde ſecundò eſſe conſuſè cognitum, ſeu vniuerſale eſt ſola cognitio & vniuerſalitas: ergo vtrūque vniuerſale conuenire vniuocè in ratione cogniti, & vniuerſalis eſt cognitiones ſolas ita conuenire: ergo in ratione vniuerſalis, complexè ſumpti, ita non conueniunt, nec hoc ab eis poteſt abſtrahi: antecedens probatur, quoniam, vt aliquid ſit conſuſè cognitum, ſeu vniuerſale, ſolius cognitionis & vniuerſalitatis requiritur exiſtentia, proinde eſſe cognitum, aut vniuerſale eſt ſola cognitio, & vniuerſalitas. Præterea tertio. Vniuerſale rationis ac fictitium non eſt propriè vniuerſale: ergo ratio vniuoca vniuerſalis ab eo, & vniuerſali reali non magis poteſt abſtrahi, quam homo à vero, & effigiatō: antecedens probatur, quia vniuerſale eſt vnum multa: at ens rationis non eſt propriè multa, cum omnis propria multitudo ſit verorum entium: igitur vniuerſale rationis ſolius veram, & propriam eſſentiam vniuerſalis neutiquam obtinet. Quarto: vniuerſale vt ſic abſtractum à reali, & chimerico nullum materiale ſortiri poteſt: aut enim eſt entitas vera, & ita vniuerſale in communi de eo, quod ſolius eſt rationis, nullatenus poterit prædicari: aut entitas ficta, & ita nequibit illud de vniuerſali reali, ac vero prædicari: aut entitas vtræque ſuperior, & hæc repugnat: alia verò prorsus eſt inaffignabilis.

67 Denique quinto: vniuerſale fictitium ac ſolius rationis non eſt genus, ſpecies, aut differentia: tum quia hæc prædicantur in quid, & eſſentialiter, vt eſt inter omnes compertum, quamuis ea in modo prædicandi in quid differant; at nullum ens rationis habet quidditatem, aut eſſentiam propriè loquendo: tum etiam quia id expreſſè docet Ariſtoteles lib. 4. Top. ad finem; non entis autem nulla ſunt ſpecies omnino; & lib. 1. de partibus animalium; priuationis quæ priuatio eſt nulla eſt differentia; non enim fieri poteſt vt vlla ſit ſpecies non entis, vt impedari, aut impennari. Hæc ille; excluſa autem differentia & ſpecie, quis locus eſſe poteſt generi: Rurſus vniuerſale fictitium non eſt proprium, aut accidens ſtriçtè loquendo, hæc enim prædicantur in quale, entis autem rationis, ſeu non entis, nulla poteſt eſſe qualitas, quandoquidem hæc continetur ſub ente reali in communi, & eius eſt pars ſubiectiua, non minus quam ſubſtantia, quantitas, & cætera prædicamen-

ta: vniuerſale igitur fictitium non eſt genus, ſpecies differentia, proprium, aut accidens, ac proinde nullum vniuerſale, ſi res ad vium reſecetur; nullum enim non ad aliquid ex eis quinque reducitur: ab eo ergo & vniuerſali reali nequit abſtrahi ratio communis vniuoca vniuerſalis, haud aliter, ac ſi equus non eſſet propriè animal, hoc reſpectu illius, & hominis vniuocum eſſe non poſſet.

Ad primum reſpondeo; ad conuenientiam duorum concretorum, & abſtractionem ab eis vniuocam, requiri aliquam conuenientiam, & ſimilitudinem materialium, quæ eſſentialiter includunt: cæterum eam ſimilitudinem poſſe eſſe extrinſecam, & accidentariam, qualis eſt inter materialia vtriuſque vniuerſalis, de quibus agimus. Cum autem ſimilitudinem extrinſecam, & accidentariam, ad abſtractionem vniuocam ſufficere arbitramur, non de ea ſimilitudine, & conuenientia, quæ in ipſa abſtractione ſita eſt, ſermonem habemus: id enim planè impertinens eſſet, & nihil aliud, quam abſtractionem ſuimet ipſius præuium fundamentum eſſe, ſed de alia ſimilitudine extrinſeca, quæ abſtractione prior eſt, eamque fundat, vt eſt ex dictis peripicuum. Reſpondeo ſecundò, iuxtà ſuperius etiam propoſita ab vtriuſque vniuerſali materiali rationem communem vniuocam materialis abſtrahi, quæ ſit fundata in eorum intrinſeca etiam atque eſſentiali conuenientia ac propria ſimilitudine videlicet rationem obiecti in quo ambo ita conueniunt.

Ad ſecundum reſpondeo; eſſe cognitum non eſſe ſolam cognitionem; tum quia eſſe album non eſt albedo ſola, vt ipſi aduerſarij merito fatentur: ergo nec eſſe cognitum ſola cognitio: quod enim minimè requiratur ad eſſe cognitum exiſtentia rei cognitæ, at verò ad eſſe album exiſtentia ſubiecti ſit requiſita, non eſt ſufficiens diſparitatis ratio: nam aliquid non exiſtens, concretum cum re exiſtente conſtituere poteſt, & illud ingredi, vt cernere eſt, in denominatione futuri, aut præteriti, prioris, aut poſterioris tempore, quæ per non exiſtentiam rei in vno tempore, & exiſtentiam in alio conſtituuntur, vel iuxtà aduerſarios, & in denominatione veri de obiecto poſſibili futuro, aut præterito, quæ, vel ſemper iuxtà non paucos, vel certè, cum veritas non eſt contingens non actum modo, ſed etiam eius obiectum non exiſtens includit. Tum ſecundò, quia ſi eſſe cognitum eſſet ſola cognitio, quoties quis affirmaret obiectum aliquod eſſe cognitum, illud eſſe cognitionem affirmaret: quod tamen eſt omnino falſum: vide, quæ ſuprà cap. 5. ad probandum hoc ipſum adduximus.

Ad tertium reſpondeo, vniuerſale rationis ſtriçtè & propriè vniuerſale eſſe, eſto propria, & ſtriçta multiplicitate non gaudeat: tum quia multiplicitas ſolius rationis ſufficit ad vniuerſale, cuius materiale ſit ens reale, vt ſuprà lib. 8. tract. 1. probatum manet: ergò à fortiori ad vniuerſale, cuius materiale ſit ens rationis: tum quia ad veram, & propriam denominationem conſuſè & præciſiue cognitum, ſufficit ens rationis pro materiali; quis enim ens rationis propriè cognosci denegat: ergo & ad veram, & propriam denominationem vniuerſalis, cum vtræque, vel ſit eadem, vel certè ex æquo extrinſeca. Ratio à priori eſt: quia cum vniuerſale ſimpliciter, & propriè tale, definitur, *vnum in multis*, vti vnitas eius non debet eſſe propria (quippe quæ nonnunquam eſt coniuncta cum inferiorum diſtinctione reali) ita etiam eius multiplicitas impropria tantum & ab intellectu oriunda interdum eſſe poteſt, & non tam plurium entitatum, quam non entium.

Ad

71 Ad quartum respondeo; inprimis materiale eius vniuersalis, quod vniuoce abstrahitur à reali, & solius rationis, est obiectum, siue quid essentialiter cognoscibile, in quo ambo vniuoce conueniunt. Secundo eiusmodi materiale potest esse ens in communi abstractum à reali, & solius rationis: quamvis enim secundum se sumptum non sit vniuocum, sed analogum respectu vtriusque, cæterum prout est materiale vniuersalis in communi, per denominationem à forma extrinseca, ac secunda intentione, cui subest, vniuocum quid ni sit? Tertio materiale illud vniuersalis vt sic potest esse simul ens reale, & rationis, quatenus hæc non clarè, & expresse, sed obsecrè, & implicite cognoscuntur, poterit inquam, si vera est eorum sententia, qui præcisiones obiectivas negant, & cum species ab indiuiduis abstrahitur, hoc, & illud indiuiduum, & cætera confusè cognita eius vniuersalis materiale esse existimant.

72 Ad quintum respondeo, vniuersale fictum, ac solius rationis, haud esse genus, speciem, aut aliud ex quinque vniuersalibus à Porphyrio numeratis; at illud propterea nequiquam esse propriè vniuersale inficior. Etenim præter quinque illa vniuersalia arbitror esse quædam alia; ens videlicet, rem, & cætera prædicata transcendens, quorum, si aliquid sit genus (aliud enim ex quinque nequit esse) sanè decem prædicamenta nequaquam erunt suprema genera, sed ab aliis superabuntur. Fateor me dictum in met. lib. 5. tract. 2. satis esse probabile, quod ens, & quodvis aliud simile prædicatum transcendens sit genus. Verum contrarium, & communius, & probabilius ibidem arbitror, ac modo etiam arbitror. Quidquid autem de hoc sit, nullum vniuersale chimæricum esse propriè, ac strictè genus, speciem, differentiam, proprium aut accideus cenleo, ac propter rationem in argumento adductam, non problematice, & in vtramque partem hoc disputandum, sed pro comperto, & explorato habendum reor.

73 Porro aduersus id, quod postremo loco statuimus, aliqui, quibus contrarium placuit, ita obiciunt. Vniuersalitas vt sic est ordo ad ens reale, vel rationis, nec enim est ordo ad aliquid commune vtrique, & ab eis abstractum, cum id commune repugnet: sed ordo ad ens reale, vel rationis vniuersale esse nequit, aut ratio vniuoce, eò quod multitudinem, & indeterminationem expresse inuoluat; qua ratione Petrus, vel Paulus v. g. non est vniuersale, aut ratio vniuoce, vt vt de pluribus, nimirum de quolibet eorum seorsim sumpto prædicari possit.

74 Cæterum nullius ponderis est hoc argumentum: quoniam vniuersalitas vt sic optime esse potest ordo, non ad ens reale, vel rationis, sed ad rationem obiecti, seu cognoscibilis vtrique communem etiam vniuoce: vel secundò esse potest ordo ad rationem communem entis, respectu vtriusque, saltem analogam: vel tertio in aliorum principiis sustinet esse talis ordo ad ens reale, vel rationis non expresse, sed confusè cognita, quare nullam indeterminationem, aut multitudinem exprimit.

75 Rursus, tamen si vniuersalitas vt sic esset ordo ad ens reale, vel rationis etiam explicite cognita, id vniuersalitatis vniuersalitatis, & vniuoce non obesset. Primo, quia vniuersale reale est ratio superior, & generica, ad hoc, & illud, & tamen multitudinem in obliquo exprimit, cum sit formalissime vnum in multis realiter; igitur vniuersalitas vt sic erit vniuersalis, & vniuoce ratio, licet sit ordo ad ens reale, vel rationis solius, inter se primo diuersa,

seu quantumvis ex parte obliqui multipliciter exprimat: antecedens est etiam aduersariorum; consequentia videtur sine villo discrimine. Secundo, quia multitudo tantum obest vniuersalitati eius, in quo exprimitur: at in hoc conceptu, ordo ad ens reale, vel rationis, multitudo solum ex parte termini exprimitur, non ex parte ordinis ad terminum: ergo ordo ad ens reale, vel rationis etiam explicite cognita: quatenus ordo est, vniuersalis esse poterit, & ab inferioribus suis vniuoce abstractus, ac proinde eiusmodi etiam erit vniuersalitas vt sic, quantumlibet in tali ordine consistat. Minor probatur, quia vnus, idemque actus potest esse ordo ad ens reale, & rationis, vt cernere est, in hoc indiuisibili iudicio, ens reale non est ens rationis, quod vtrumque ens simul, & semel amplectitur: ergo ordo ad ens reale, vel rationis, eo ipso nullam in ordine multitudinem, & distinctionem exprimit, aut arguit. Vbi animaduertas velim, eò, quod idem realiter ens possit esse reale, vel rationis, malè inferri in hoc conceptu, ens reale, vel rationis, multitudinem non exprimi, nec argui: cæterum si vnum, & idem ens posset esse simul ens reale, & rationis, optime ex hoc fieret, in hoc conceptu, ens reale vel rationis, multitudinem aut distinctionem non exprimi: quapropter nos data opera, ex eo, quod idem actus possit esse ordo ad ens reale, & simul etiam ad ens rationis, in ordine vt sic, & quatenus tali, nequiquam exprimi multitudinem deduximus, non vero ex eo, quod idem actus possit esse ordo ad ens reale, vel rationis: quæ differentia magnopere præ oculis habenda est in præsentia materia.

76 Tertio: quia esse imaginem, & similitudinem SS. Trinitatis, est ratio communis vniuoce, atque vniuersalis respectu cuiusque hominis, vt ex libro Geneseos Patres colligunt: at ea ratio vniuersalis plura vt plura, videlicet personas diuinas expresse connotat: ergo similiter in præsentia, &c. Quarto quoniam aliud est arguere multitudinem, aliud eam exprimere: transeat ergò, ex eo, quod vniuersalitas vt sic sit ordo ad ens reale, vel rationis, etiam explicite, ac dilucide cognita, argui per legitimam consequentiam, multipliciter in ordine ipso re vera: hoc autem non est eam in illo exprimi; nec sufficit, vt non sit vniuersalis respectu suorum inferiorum: aliàs etiam homo vt sic nequiquam esset vniuersalis; quippe ex eius natura, & essentia colligi, & argui potest, eum re ipsa multiplicabilem esse. Atque ex his omnibus liquet, exemplum argumenti esse parum accommodatum: idcirco enim Petrus, vel Paulus, non est vniuersale quidpiam, quia multitudinem in recto ipso exprimit, nec non, quoniam non potest de pluribus etiam collectivè sumptis prædicari: quorum tamen neutrum in vniuersalitate vt sic visitur.



TRACTATUS II.

De Genere.

CAPVT I.

Quid sit genus.



MULTIPLEX est, & varia generis nomenclatura: interdu ad mores refertur, & vel ipsa specie infima inferius est: Tritum illud Maronis lib. 1. Æneidos.

Quod